UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Martini Bonacinae, Sacr. Theologiae, Ac I. V. D. Vticensis Episcopi, Tractatus De Legitima Svmmi Pontificis electione, iuxta Summorum Pontificum, praesertim Gregorij XV. & Sanctiss. D. N. Vrbani ...

Bonacina, Martino

Lvgdvni, 1637

urn:nbn:de:hbz:466:1-10669

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. 1
46.

Th. 4847

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# MARTINI BONACINÆ,

## SACR. THEOLOGIÆ,

AC [illegible] VTICENSIS [illegible],

### TRACTATVS

DE LEGITIMA SVMMI

Pontificis [illegible] Romanorum Pontificum, [illegible] D. N. [illegible]

[illegible]

### DE CONTRITIONE OCCASIONE

[illegible] a Summo Pontifice, ad [illegible]

[illegible] Pontificatus [illegible] ad opera sua moralia.

PRODIT NVNC PRIMVM.

[illegible] cum Dispositionibus, Quæstionibus, [illegible]

[illegible]

[illegible],
Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

[illegible]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# MARTINI BONACINÆ,

## SACR. THEOLOGIÆ, AC I.V.D. VTICENSIS EPISCOPI,

## *TRACTATVS* DE LEGITIMA SVMMI

Pontificis electione, iuxta Summorum Pontificum, præſertim Gregorij XV. & Sanctiſſ. D. N. Vrbani VIII. conſtitutiones:

ET

## *DE CENSVRIS OCCASIONE*

*ipſius electionis à Summis Pontificibus, ad hanc vſque diem impoſitis;*

Cum Paralipomenis poſthumis eiuſdem Authoris ad opera ſua moralia.

PRODIT NVNC PRIMVM,

*Indicibus tum Diſputationum, Quæſtionum, Punctorum, & Paragraphorum, tum Rerum notabilium illuſtratus.*

Ex legato Celsm̄i Principis Ferdin: Epi Paderb: et Monaster. Ao 1683.

*LVGDVNI,*

Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

*M. DC. XXXVII.*

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Ferdinandi Furstenbergij
Collegij Societatis Jesu Paderb:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# MARTINI BONACINÆ

SACR. THEOLOGIÆ, AC I.V.D. VTICENSIS EPISCOPI,

## TRACTATVS DE LEGITIMA SVMMI

Pontificis electione, iuxta Summorum Pontificum, præſertim Gregorij XV. & Sanctiſſ. D.N. Vrbani VIII. conſtitutiones:

ET

## DE CENSVRIS OCCASIONE

*ipſius electionis à Summis Pontificibus, ad hanc vſque diem impoſitis:*

Cum Paralipomenis poſthumis eiuſdem Authoris ad opera ſua moralia.

PRODIT NVNC PRIMVM.

*Indicibus cum Diſputationum, Quæſtionum, Punctorum, & Paragraphorum, tum Rerum notabilium illuſtratus.*

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII DVRAND

M. DC. XXXVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

# ELENCHVS
## Diſputationum, Quæſtionum, Punctorum, & Paragraphorum.

## DISPVTATIO PRIMA.

*De requiſitis ad validam, & legitimam Summi Pontificis electionem.* pag. 1

Breuis, & Compendioſa enumeratio eorum, quæ in Gregorij XV. conſtitutione continentur. 2

QVÆSTIO I.

*De requiſitis ad validam Summi Pontificis electionem ex parte eligentium.* 10

PVNCT. I. Vtrùm Elector Summi Pontificis debeat eſſe Cardinalis. 11

§. 1. Quínam Cardinalium nomine veniant,& cur Cardinales hoc nomine vocentur. 39

§. 2. A quónam Cardinales inſtituti fuerint, & ad quem creatio Cardinalium pertineat. 42

§. 3. A quónam Cardinales acceperint poteſtatem eligendi Papam,& quandónam eligere incœperint. 47

II. An Electores liberè & ſponte debeant eligere, & an electio facta per metum valida ſit. 58

III. De quatuor aliis conditionibus requiſitis ex parte eligentium, quarum prima eſt, vt elector non eligat ſeipſum: ſecunda, vt eidem non ſuffragetur in ſcrutinio, & in acceſſu: tertia, vt dignum eligat: quarta, vt alia à iure ſibi præſcripta obſeruet. 65

## QVÆSTIO II.

*De requiſitis ex parte electi ad validam Summi Pontificis electionem.* 70

§. Vnic. Vtrùm electio Summi Pontificis facta per ſimoniam valida ſit. 91

QVÆ

QVÆSTIO III.

*De requiſitis ex parte loci ad validam Summi Pontificis electionem.* 112

QVÆSTIO IV.

*De requiſitis ad electionem Summi Pontificis ex parte temporis.* 121

QVÆSTIO V.

*De requiſitis ex parte formæ ad electionem, ſeu de variis eligendi Pontificem modis, & formis.* 129

I. De electione per ſcrutinium, ſeu per ſcrutinium, & acceſſum. In hoc puncto explicabo conditiones ad electionem per ſcrutinium, vel per ſcrutinium, & acceſſum requiſitas. 133

II. De electione per compromiſſum. 146

III. De electione quæ fit quaſi per inſpirationem. 162

IV. De creatione Pontificis ſucceſſoris facta per deſignationem, & electionem à Papa adhuc viuente. 186

Epilogus, ſeu breuis enumeratio eorum, quibus in hac prima diſputatione oſtendimus ſubſtantiam electionis vitiari, & euerti. 210

## DISPVTATIO SECVNDA.

*De Cenſuris, occaſione creationis Romani Pontificis editis.* 213

### QVÆSTIO I.

*De pœna excommunicationis contra facientes ſponſiones, ſeu excommiſſas ſuper vita, morte, & futura electione Pontificis, aut ſuper promotionibus Cardinalium.* 214

### QVÆSTIO II.

*De pœna excommunicationis contra ambientes Papatum, aut tractantes de electione Pontificis, ipſo adhuc viuente.* 222



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

QVÆSTIO III.

*De excommunicatione contra Dominos temporales, & Officiales ciuitatis, in qua electio Summi Pontificis facienda eſt.* 233

QVÆSTIO IV.

*De excommunicatione contra eos, qui Cardinalibus in Conclaui exiſtentibus, literas, vel nuncium mittunt, vel ſecretò loquuntur.* 238

QVÆSTIO V.

*De excommunicatione contra occupantes bona Cardinalium in Conclaui exiſtentium, aut etiam alibi.* 253

QVÆSTIO VI.

*De excommunicatione contra Cardinales ſimoniam committentes in electione Papæ.* 261

## QVÆSTIO VII. & vlt.

*De excommunicatione Gregorij XV. & ſanctiſſimi D. N. Vrbani, contra Cardinales non ſeruantes formam in eligendo Summo Pontifice præſcriptam, aut præſumentes aliquid facere, vel attentare contra ipſarum conſtitutiones.* 267

# MARTINI BONACINÆ SACR. THEOLOG. AC I.V.D. VTICENSIS EPISCOPI,

## De legitima Summi Pontificis electione, iuxta Summorum Pontificum, præſertim Gregorij XV. & Sanctiſſimi D. N. Vrbani VIII. conſtitutiones: Et de Cenſuris occaſione ipſius electionis à Summis Pontificibus, ad hanc vſque diem impoſitis.

*Tractationem iſtam in duas diuidam diſputationes; in prima de requiſitis ad validam, & legitimam electionis Pontificiæ rationem & formam diſputabo; in ſecunda Cenſuras occaſione electionis Summi Pontificis editas, afferam, & explicabo.*

---

## DISPVTATIO PRIMA.

### *De requiſitis ad validam, & legitimam Summi Pontificis electionem.*

QVÆ ad legitimam Summi Pontificis electionem pertinent, ad quinque capita reuocari poſſunt. Primum eſt ex parte eligen-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tium. Secundum ex parte electi. Tertium ex parte loci. Quartum ex parte temporis. Quintum ex parte formæ: ſed antequam ad iſtorum ſingulorum explicationem accedam, operæpretium cenſui, paucis ea perſtringere & enumerare, quæ in Gregorij XV. conſtitutione continentur, vt habita, quaſi per tranſennam, ſeu compendium, eorum omnium breui cognitione, in clariorem dicendorum intelligentiam faciliùs quiſque feratur.

## *Breuis & Compendioſa enumeratio eorum quæ in Gregorij XV. conſtitutione continentur.*

PRimò, electio fieri non poteſt niſi in Conclaui iam clauſo, & poſt celebratum in eo, prima die, Miſſæ ſacrum, in quo Cardinales adſtantes Euchariſtiæ ſacramentum ſumere conſueuerunt, §. *matura.*

Secundò, electio facienda eſt per Scrutinium, aut per ſcrutinium & acceſſum, aut per compromiſſum, aut per Inſpirationem, ſeruato modo in ſingulis iſtis formis præſcripto. Itaque ſi electio per ſcrutinium fiat, ſcrutinium peragi debet, per ſecreta ſuffragia, & in eo concurrere debent duæ partes ſuffragiorum, §. *matura,* & §. *quod ſi electio.*

Quando electio per compromiſſum facienda

cienda eſt, primò Compromiſſum iniri debet omnibus conſentientibus; ſecundò eligendi ſunt plures compromiſſarij, & hi quidem Cardinales in Conclaui præſentes; tertiò nullus poteſt ſe compromiſſarium conſtituere, nec vllus compromiſſarius poteſt ſeipſum eligere, §. *quod ſi electio.*

Quando electio agitur per Inſpirationem, primò facienda eſt omnibus conſentientibus, & nemine diſſentiente, ſecundò ſine tractatu de ſpeciali perſona, tertiò conſenſus exprimendus eſt per verbum *eligo*, intelligibili voce prolatum, niſi fortè eligens infirmus ſit, tunc enim ſufficit conſenſum exprimere per verbum *eligo* ſcripto exaratum, §. *quod ſi electio.*

Tertiò, electus non poteſt ſibi ſuffragium ferre, imò ipſius ſuffragium irritum eſt, dum ſibi ſuffragatus eſt, ipſe tamen computandus eſt in numero Cardinalium eligentium, ob id ſi duæ partes tantum ſuffragiorum alicui tribuantur, aperienda eſt ſchedula electi, vt inſpiciatur an ipſe ſibi ſuffragium dederit; nam ſi comperiatur ſibi ſuffragium dediſſe, electio irrita eſt defectu debiti numeri ſuffragiorum: propterea ſi quis electus ſit cum duabus partibus ſuffragiorum, præciſè, electio cenſenda non eſt valida, donec explicata &

reſerata electi ſchedula conſtiterit, ipſum ſibi ſuffragium non dediſſe, §. *numerum*, & §. *rurſus*.

Quartò, ſi plures nominati pares ſint in numero ſuffragiorum, nullus remanet electus; ſi verò impares ſint, is cenſetur electus, qui ſuperat alium in numero ſuffragiorum, etiamſi vno tantum ſuffragio ſuperet, modò duas tertias partes ſuffragiorum tulerit, §. *ac ſi*.

Quintò, iuramentum emittendum eſt à Cardinalibus in ſuffragio ferendo, iuxta formam præſcriptam, in §. *inſuper*.

Sextò, electi nomen deſcribendum eſt immutato proprio caractere, & ſimul addita certa nota, ſeu ſigno in ſchedulis, tam ſcrutinij quàm acceſſus, vt fraus euitetur, & illa pars ſchedulæ in qua dicta ſigna apponuntur complicanda eſt, §. *ſuffragiorum*, & §. *poſtea*.

Septimò, ſigna & ſuffragia in media capella conſcribi debent ad menſam ibi conſtitutam, & circumſeptam, vt ab aliis videri nequeat, quod à ſuffragatoribus ſcribitur; ſi quis verò ad menſam ſe conferre nequeat, ſchedulam conficiat, eámque vltimo ſcrutatori tradat, §. *quod autem*.

Octauò, electione in ſcrutinio non ſecuta, inſtituendus eſt acceſſus antequam Cardinales ad alia progrediantur; peracto enim ſcrutinio quilibet poteſt alteri ſemel accedere; ſchedu

ſchedulæ autem acceſſus conficiendæ ſunt, eo pacto quo diximus conficiendas eſſe in ſcrutinio, præterea in conficienda ſchedula acceſſus, qui alicui vult accedere, ſcribere debet nomen illius, cui accedit; ſi verò nulli velit accedere, ſcribat neminem, §. *& vt acceſſus.*

Nonò, qui in ſchedula ſcrutinij plures nominauit, poteſt in acceſſu vnum ex nominatis eligere. Is tamen qui plures nominauit in numero Cardinalium computandus eſt, ſed ipſius ſuffragium in ſcrutinio latum inualidum eſt, ac ſi latum non fuiſſet, §. *nulli autem.*

Decimò, dum quis in acceſſu nominatus fuit aliquo ſuffragio, idem ſigillum & eadem ſigna habente cum ſuffragio ſcrutinij, aperienda ſunt ſuffragia, vt inſpiciatur an ab eodem nominatus fuerit in acceſſu & in ſcrutinio, §. *poſtea verò.*

Vndecimò, ſi ſchedula acceſſus notata ſit aliquo ſigno, quo notata non ſit ſchedula ſcrutinij, ſuffragiũ acceſſus nullum eſt, §. *at ſi.* Præterea accedens ad aliquem cui ſuffragium in ſcrutinio tulerat inualidè accedit, & irritum eſt ſuffragium acceſſus, §. *at ſi.*

Duodecimò, accedens ad aliquem cui ſuffragium in ſcrutinio non tulerat, non cenſe-

tur ab eo recedere quem in ſcrutinio nominauerat, §. *neque in quolibet.*

Decimo-tertiò, ſchedulæ omnes diligentiſſimè & palam numerandæ ſunt, antequam ſchedulæ ſcrutinij, vel acceſſus à ſcrutatoribus aperiantur, & ſi plures inuentæ fuerint, quàm ſint Cardinales in Conclaui, præſentes omnes comburendæ ſunt, & iterum ad ſuffragium ſtatim accedendum, §. *inſuper*, & §. *ſi quis*, imponitur excommunicationis pœna contra non ſeruantes ſuprà dicta.

Decimo-quartò, infirmus qui ob infirmitatem ad ſcrutinium venire nequit, ſuffragium tradere debet Cardinalibus ad hoc deputatis, iuxta formam hîc præſcriptam, *in* §. *præterea ſtatuimus:* verum ſi infirmus ob infirmitatem ſcribere non poſſit, ſcribere poteſt per alium extorto iuramento, de ſeruando ſecreto, quod ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſeruari præcipitur, §. *prætereà ſtatuimus.* Tres autem ſcrutatores pro votis infirmorum ſuſcipiendis extrahendi ſunt per vltimũ Diaconum ante quodlibet ſcrutinium, & hi tenentur ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ſecreto celare, quæ cognouerint in exercendo ſuo officio, idem militat in recognitionibus, §. *ad hæc ſcrutatores.*

Decimo-quintò, ſcrutatores deferre debent

bent folia ad infirmos, in quibus annotatus ſit numerus ſuffragiorum, quem quiſque tulit in ſcrutinio; vide Cæremoniale, *tit. de acceſſu, verſ. 5. pag.* 116.

Decimo-ſextò, finito ſcrutinio, & acceſſu, ſorte contrahendi ſunt tres Cardinales qui ſchedulas omnes recognoſcant, & ſchedulæ omnes ſtatim palam cōburendæ ſunt, §. *ad hæc.*

Decimo-ſeptimò, ſcrutinium bis ſingulis diebus peragendum eſt, ſemel manè poſt ſolitam Miſſam, & iterum poſt prandium, ad quod ſinguli ſub excommunicationis pœna ipſo facto poſt tertium campanæ ſonum conuenire debent, niſi praua valetudine impediantur, §. *ſimiliter.*

Decimo-octauò, ſecretum in iis ſeruari præcipitur, quæ circa ſuffragium ferendum vel latum pertinent, §. *poſtremò ſtatuimus.*

Decimo-nonò, vetantur pactiones omnes, promiſſiones, ſigna, pacta, iuramenta, obligationes, intendimenta, & ſimilia ad aliquem ſeu aliquos includendos, vel excludendos, §. *Cardinales*, vbi etiam irritantur iuramenta, & pacta circa prædicta: imò non ſeruans prædicta pacta, conuentiones, vel iuramenta, non incurrit infamiam, ſeu notam violatæ fidei. Addit Sopranus Cardinalem, qui transgrediendi tale pactum audet exprobrare notam



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

violatæ fidei, vel perfidiæ, pœnam excommunicationis ipſo facto incurrere, ſed hoc mihi durum videtur, nec clarè colligitur ex conſtitutione Gregorij, imo cùm verſemur in materia pœnali, verborum ſignificatio extendenda non eſt, ſed potius reſtringenda, Summus autem Pontifex aſſerit quidem non ſeruantem præfata pacta, ſeu iuramenta notam perfidiæ nō incurrere, non tamen ſufficienter explicare videtur exprobrantem notam violatæ fidei excommunicationis pœnam ſubire.

Vigeſimò, Cardinales cenſuris irretiti excludendi non ſunt ab electione, tam actiua quàm paſſiua, §. *volumus etiam.*

Vigeſimo-primò, cauendum eſt Cardinalibus ne aliquid contra iſtam conſtitutionem ſtatuere, diſponere, alterare, tractare, facere, vel attentare præſumant, quouis prætextu, cauſa, vel exquiſito colore, alioquin excommunicationis cenſuram ipſo facto incurrunt, §. *poſtremò ſtatuimus*, ad obſeruationem iſtius conſtitutionis deputantur Cardinales, qui ſingulis diebus curam habeant agendarum congregationum, §. *vt autem.*

Vigeſimo-ſecūdò, Cardinales aſſecuto Cardinalatu iuramentum præſtare debent de hac conſtitutione, & aliis ſimilibus ſeruādis. Idem facere debent Cardinales, non ſolum in prima

congre

congregatione poſt obitum Pontificis fieri ſolita, verum etiam in congregatione poſt Conclauis ingreſſum, vt patet ex §. *volumus quoque.*

Quæ in conſtitutionibus præcedentium Pontificum ſancita fuerunt, in ſuo relinquuntur robore, §. *quibus conſtitutionibus*, exceptis iis quæ in hac conſtitutione expreſſa ſunt. Ex quo infert Sopranus præceptor meus *lib. 2. cap. 2. de electione*, iſtam conſtitutionem non eſſe derogatoriam præcedentium, ſed potius ſuppletiuam: nam conſtitutio quæ præcipit omnia quæ in aliis conſtitutionibus decernuntur, & præterea aliquid aliud, non eſt derogatoria, ſed ſuppletiua ex accumulatiua; ego verò cenſeo ex parte derogatoriam eſſe. Ratio eſt, tum quia in præcedentibus conſtitutionibus decernitur electum à duabus partibus Cardinalium quacũque forma, & quocumque in loco eligatur verum Pontificem eſſe; in conſtitutione verò Gregorij irritatur electio alio in loco, quàm in Conclaui clauſo, aut alia forma, quàm hîc præſcripta: ergo iſta Gregorij conſtitutio derogatoria ex parte dici debet, nam illa conſtitutio dicitur derogatoria alterius, quæ aliquid illi contrarium decernit, tum quia Gregorius, *in* §. *non obſtant*, & *in* §. *quibus*, expreſsè dicit, ſe nolle conſtitutionibus aliorum Pontificum, & pœ-

nis in eis contentis derogare, niſi in ſuperius expreſſis, ergo dicendum eſt aliquid, expreſſiſſe in quo præcedentibus conſtitutionibus derogare intendit. Idem ſentiendum eſt de conſtitutione Summi Pontificis Vrbani VIII. ibi non obſtantibus, &c. Hinc patet reſponſio ad rationem Soprani. Reſpondeo enim eſſe derogatoriam, quatenus ſtatuit aliquid contrarium præcedentibus conſtitutionibus, vt patet ex prima ratione. His præmiſſis explicanda modò ſunt ſingillatim quæ initio quæſtionis propoſui exponenda.

# QVÆSTIO I.

## *De requiſitis ad validam Summi Pontificis electionem ex parte eligentium.*

SEx conditiones ex parte eligentium requiruntur; Prima eſt vt eligens ſit Cardinalis; Secunda vt liberè eligat; Tertia vt non eligat ſeipſum; Quarta vt in acceſſu non tribuat illi ſuffragium cui ſuffragatus eſt in ſcrutinio; Quinta vt idoneum eligat; Sexta vt obſeruet

alia à Pontificibus ſibi præſcripta, has omnes conditiones in tribus punctis explicabo.

## PVNCTVM PRIMVM.

### Vtrùm Elector Summi Pontificis debeat eſſe Cardinalis.

*SVMMARIVM.*

1 *Elector Summi Pontificis hoc tempore debet eſſe Cardinalis.*

2 *Cardinalium Collegium non poteſt quemquam, qui Cardinalis non ſit, admittere ad electionem.*

3 *Cardinalis ſuperſtes aliis mortuis poteſt aliquem ſecum aſſumere ad eligendum, vel, vt alij volunt, conuocandum eſt in tali euentu Concilium generale, à quo Papa eligatur, vel à Romano Clero.*

4 *Cardinalis cui os clauſum fuit, ante mortem Pontificis poteſt conuenire ad electionem.*

5 *Cardinalis cenſura obſtrictus non repellitur ab electione.*

6 *Cardinalis ſacro Diaconatus ordine nondũ inſignitus, ad electionem admittẽdus non eſt.*

7 *Cardinalis cedere poteſt iuri eligendi, & nihilominus facta ceſsione, ſi ad electionem concurrat, validè concurrit.*

8 *Cardina*

8 *Cardinalis qui ſemel ſimoniacè aliquem elegit poteſt nihilominus ad nouam Pontificis electionem concurrere.*

9 *Pontificis eligendi poteſtas, an Imperatoribus, aut Regibus aliàs conceſſa fuerit.*

10 *Pontificis eligendi poteſtas quomodo aliàs conceſſa fuerit Populo, ſeu Laicis.*

11 *Populus cur hoc tempore ad Pontificis Electionem non admittatur.*

12 *Cardinales quomodo Pontificem eligant cùm ipſi poteſtatem Pontificiam non habeant.*

13 *Pontifex reſpectu Chriſti dicitur habere poteſtatem miniſterialem, reſpectu verò hominum auctoritatiuam.*

14 *Electio indigni, an imputanda ſit Cardinalibus, an Pontifici, qui Cardinalibus poteſtatem eligendi contulit.*

15 *Papam deponendi facultas, an competat Cardinalibus, ſicut eiſdem competit facultas eligendi.*

16 *Pontifex an poſsit Cardinalibus facultatem concedere deponendi alios Pontifices.*

17 *Pontifex poteſt formam eligendi præſcribere, non autem facultatem deponendi alios Pontifices concedere.*

18 *Pontifex an poſsit ſe alieno Iudicio ſubiicere.*

19 *Pontifex an in cauſa hæreſis deponi poſsit.*

20 *Ponti*

20 *Pontifex an teneatur ex vi iuramenti ſeruare ea, quæ dum Cardinalis erat ſimul cum aliis iurauit.*

21 *Pontifex an poſsit ſeipſum deponere, ſeu Papatui cedere.*

## VNICA PROPOSITIO.

1 ELector Summi Pontificis hoc tempore debet eſſe Cardinalis, nec alius ſufficit: Hæc propoſitio patet, *ex c. vbi periculum, de electione in 6. in Clement. ne Romani, de elect. & ex Bulla Gregorij XV. quæ incipit æterni Patris*, & ſic vſu receptum eſt. Addo Cardinalem poſſe ſuffragium ferre, etiamſi vinculo cenſuræ detineatur, aut os clauſum habeat, aut etiamſi iuri eligendi ceſſerit, modò tamen ſacro Diaconatus ordine inſignitus ſit, vt conſtabit ex dicendis in illationibus, *num.* 4. *& ſeqq.*

Hinc ſequitur, primò, eum qui Cardinalatus dignitate caret, carere etiam iure eligendi Pontificem, ius enim eligendi, eſt priuilegium perſonale Cardinalibus conceſſum; priuilegium autem perſonale, perſonam non excedit.

2 Secundò ſequitur Collegium Cardinalium non poſſe quemquam, qui Cardinalis non

non ſit, admittere ad eligendum, ſeu ad coëligendum. Ratio eſt, tum quia ſic colligitur, *ex cap. licet, de elect.* vbi vetatur eum tanquam Papam recipi, qui à duabus ex tribus partibus Cardinalium electus non fuerit; ergo ſuffragia Cardinalium tantummodo computari debent, non aliorum; tum quia ſacrum Cardinalium Collegium non poteſt Cardinalem creare: ergo neque poteſt quenquam ad eligendum admittere, cùm Papa eligi tantummodo debeat à Cardinalibus.

Neque obſtat dicere Cardinales poſſe compromittere in non Cardinales, præterea poſſe vices ſuas alteri delegare, conſequenter etiam poſſe aliquem ad eligendum admittere. Reſpondetur enim Cardinales poſſe compromittere, non in extraneos, ſed in Cardinales, id ſibi concedente Gregorio XV. & Vrbano VIII. vt patebit ex dicendis de electione per compromiſſum; non tamen poſſunt vices ſuas alteri committere, & procuratorem conſtituere, vt bene Albanus *quæſt.* 19. & Azorius 2. *p. lib.* 4. *cap.* 2. *quæſito* 9. conſequenter multò minus poſſunt alium ad eligendum aſſumere.

3 Niſi fortè caſus occurreret, vt omnes Cardinales vno excepto mortui eſſent, vel conclaui exiiſſent: tunc enim probabiliſſimum

mum eſt Cardinalem ſuperſtitem poſſe aliquem ſecum aſſumere ad eligendum; tum quia hoc non aduerſatur rationabiliter præſumptæ Summi Pontificis intentioni; tum quia *in cap. vbi periculum, de elect.* Cardinalibus Sede vacante facultas datur faciendi ea, quæ conducunt ad obuiandum imminentibus periculis; magna autem imminent pericula, non facta Summi Pontificis electione, quæ maturiori iudicio expediri ſolet, nonnullis ad eligendum adhibitis, quàm iis omnibus prætermiſſis, ita Gambara *de poteſt. legat. lib. 9. num.* 140. Decius Sebaſtianus Medices, & Salas quos retuli, *de legibus diſp.* 1. *quæſt.* 1. *puncto* 3. *num.* 27. Alij verò vt Albanus *quæſt.* 25. Azorius *loco citato quæſito* 11. Iacobatius *de Concilio lib.* 1. *art.* 1. *num.* 230. Sopranus *lib.* 4. *cap.* 8. *quæſt.* 5. *dub.* 3. exiſtimant in tali euentu electionem pertinere ad Romanum Clerum, non excluſo Cardinali ſuperſtite. Alij putant conuocandum eſſe Concilium Generale, à quo fiat electio: ita Decius *in cap. licet, de elect.* Azorius *loco citato*, & alij; nam Concilium Generale iuriſdictionem Sede vacante in totam Eccleſiam habet.

Ex quo licet inferre quid faciendum eſſet, ſi Cardinales omnes, nullo ſuperſtite obiiſſent; & tunc temporis Apoſtolica Sedes vacaret;

caret; tunc enim congregandum eſſet generale Concilium ab eóque Pontifex eligendus, vel à Romano Clero: nam congruentior modus eligendi aſſignari non poteſt, nec Collegium Cardinalium eſt de iure diuino, ita Decius Medices, & alij quos retuli *de legibus loco citato*, quibus adde Imolam, & alios apud Albanum *quæſt.* 25. & apud Iacobatium *de Concilio lib.* 1. *art.* 1. *num.* 231. *& lib.* 6. *art.* 4.

4 Tertiò ſequitur Cardinalem cui os clauſum fuit ante mortem Pontificis, poſſe ſuffragium ferre in electione Papæ, quia verè Cardinalis eſt, conſequenter non caret præcipua Cardinalium facultate, quæ in Summi Pontificis electione conſiſtit; tum quia ita declarauit Pius V. *anno* 1571. *die* 26. *Ianuarij*, vbi aduertit hanc oris clauſuram inductam fuiſſe ad indicandam modeſtiam, qua Cardinales in conſiſtoriis, & congregationibus præfulgere debent, ita Cardinalis Albanus *de Cardinal. quæſt.* 17. *Azor.* 2. *part. lib.* 4. *cap.* 2. *quæſito* 7. Decius Iaſon, & alij apud Albanum *loco citato*.

5 Quartò Cardinalem cenſura aliqua obſtrictum non repelli à ſuffragio actiuo, imò neque à paſſiuo; ratio eſt, tum quia hic eſt verè Cardinalis, tum quia ſic declarauit Clemens V. *in bulla ne Romani* §. *cæterum de elect.* Pius IV.

Pius IV. *in Bulla in eligendis ſub finem verſ. & ne diſſenſiones*, & Gregorius XV. *in Bulla æterni*, §. *volumus*, quam Summus Pontifex Vrbanus VIII. perpetuò confirmauit.

6 Secùs dicendum eſt de Cardinali qui Sacro Diaconatus ordine nondum eſt inſignitus; hic enim ad electionem nullatenus admittendus eſt, niſi ſpeciale priuilegium habeat, *ex Bulla Pij IV. in eligendis* §. *ſtatuimus* eius tamen votum, ſi ad eligendum admittatur, irritari non videtur.

7 Quintò, Cardinalem poſſe quidem iuri eligendi cedere, quia nullus ſuo priuilegio vti cogitur, niſi aliud publici boni neceſſitas, aut alia cauſa ſuadeat, nihilominus poſſe adhuc facta ceſſione validè eligere, quia ob huiuſmodi ceſſionem, non amittit eligendi priuigium: nam priuilegium per ceſſionem, vel renunciationem non amittitur, niſi renunciatio acceptata ſit à concedente, vel eius vices gerente, vt docui *de legibus, diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pũcto* 8. §. 4. cum Sanchez, Suarez, & aliis, quibus adde Hoſtienſem, & alios apud Sopranum, *de elect. lib.* 4. *cap.* 5. *ad finem*, contra Martinum Laudenum, *tract.* 2. *de Cardinal. quæſt.* 37. vbi pro ſua ſententia refert Hoſtienſem, & Io. Andream, & contra Manfredum *de Cardinal. deciſ.* 298.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Contra dicta in hac prima conditione, multæ ſuboriuntur difficultates, tum ad probandum poſſe aliquem, qui Cardinalis non ſit, Pontificem eligere, tum etiam ad oſtendendum ipſoſmet Cardinales non poſſe Pontificis electionem facere. Has & alias difficultates in ſubſequentibus obiectionibus explicabo.

8 Obiicies ergo primò, Cardinalis qui ſemel ſimoniacè aliquem eligit, ipſo facto abſque declaratione priuatus remanet Cardinalatu, & aliis quibuſcunque titulis, dignitatibus, & beneficiis; & nihilominus, ſi alium poſtea cum aliis legitimè eligat, videtur validè eligere; ergo ad validam Summi Pontificis electionem requiri non videtur, vt eligens ſit Cardinalis: antecedens patet ex Bulla Iulij II. incipit, *Cùm tam diuino*, ibi, *Cardinales verò, qui cùm ſic ſimoniacè elegerint, à ſuis ordinibus, & etiam Cardinalatus titulis, & honore, ac quibuſcunque Patriarchalibus, Archiepiſcopalibus, Epiſcopalibus, & aliis Prælaturis, ac dignitatibus, & beneficiis, quæ in titulum, vel commendam tunc obtinebant, vel in quibus, ſeu ad quæ ius tunc habebant, abſque alia declaratione priuati exiſtant*

Suarez *lib.4. de ſimonia cap.57. num.57.* Filliucius, & alij reſpondent hanc Bullam vſu

receptam

receptam non eſſe, aut per conſtitutionem Pij IV. incipit *in eligendis*, abrogatam fuiſſe: Sed hæc expenſio reiicitur,& reprobatur,tum quia huiuſmodi Bulla adhuc etiam vires & robur, teſte Iacobatio *lib.*4. *de Concilio*, *art.*4. *num.*86.152. & aliis, tum quia enumeratur,& recenſetur inter approbatas, vt patet ex Ceremoniali nuper edito, continente ritus electionis Papæ, & ex Quaranta, Cherubino, & aliis, qui eam tanquam vſu receptam enumerant: neque reuocata fuit in Bulla Pij IV. quia in ea ſtatutum tantummodo fuit, vt electoribus,aut electo opponi non poſſit excommunicatio, aut alia cenſura; nos autem non agimus de cenſura, ſed de priuatione Cardinalatus.

Alij aliter reſpondent, ſed aliorum reſponſionibus omiſſis, ego reſpondeo, Cardinales, qui ſemel ſimoniacè elegerunt,& alium poſtmodum eligunt, validè eligere. Primò, quia ſi infra terminum octo dierum, poſtquàm requiſiti fuerint ab aliis Cardinalibus non conſciis ſimonicæ labis, eiſdem Cardinalibus ſe coniunxerint in priſtino ſtatu conſtituuntur, & ad Cardinalatum aliáſque dignitates eo ipſo reintegrantur, & reſtituuntur. Secundò quia Cardinalis non videtur priuatus Cardinalatu ante ſententiam Iudicis, proba-

bile enim eſt pœnam quæ actionem hominis ad ſui executionem requirit, non incurri ante ſententiam Iudicis, etiamſi pœna hoc pacto lata ſit, vt incurratur abſque alia declaratione, hæc enim loquendi forma non excludit ſententiam criminis declaratoriam, ſed declaratoriam pœnæ. ita Sanchez, Salas, Graffius, & alij quos retuli *de legibus diſp.* 1. *quæſt.* 1. *p.* 7. §. 2. *num.* 16.

9 Obiicies ſecundò, Adrianus Primus congregata Synodo 153. Epiſcoporum, Abbatum, & Religioſorum poteſtatem Carolo Magno Pipini filio dedit, Pontificem eligendi, Sedem Apoſtolicam ordinandi, & inueſtituram Epiſcopis concedendi, *cap. Adrianus diſt.* 63. *& cap. in Synodo eadem diſtinctione*, vbi conſimile priuilegium Othoni conceſſit Leo VIII. Ergo facultas eligendi Pontificem non ſolum ad Cardinales, verum etiam ad Imperatorem pertinet, & iſti teſtus, ſeu priuilegia, tanquam vera admittuntur à Iacobatio, Albano, & aliis; quia veroſimile non eſt, fictitium & commentitium eſſe, quod Eccleſia quingentis annis pro vero & legitimo habuit.

Reſpondent primò Baronius *circa annum* 526. & præſertim *anno* 774. *à num.* 10. *&* 964. *à num.* 22. Suarez *tract. de fidei defenſione lib.* 3. *cap.* 29.

*cap.29.num.7.* Iacobus Gretſerius *in Apologia Baronij cap.1. & 2.* Azorius 2.*part. lib.4. cap.2. quæſit.3.* & alij à quibus non diſſentit Cardinalis Bellarminus *de Summo Pontifice, lib.2. cap.29. & de Clericis, cap.9.* præfatos textus fictitios, & commentitios eſſe, & primum ipſorum Auctorem fuiſſe Sigibertem Monachum, à quo Gratianus hoc mutuauit, & ideò deceptus fuit. Idem à fortiori dicendum eſt de aliis, quæ ab aliquibus aſſeruntur conceſſa Imperatoribus ad eligendum, vel confirmandum Papam; nam huiuſmodi indulta ſunt apocripha, & ficta, vt docet Baronius *locis citatis*, & præſertim *tomo* 11. *anno* 1059. *num.*31.

Reſpondent alij ſecundò Carolum Magnum non acceptaſſe, ſed potius repudiaſſe huiuſmodi priuilegium, alioquin Stephanus Papa, qui poſt Leonem ſucceſſit ab ipſo electus fuiſſet, vide Albanum *de Cardinal. quæſt.*11.

Reſpondent alij tertiò hoc priuilegium à ſucceſſoribus repudiatum fuiſſe, vt patet ex *cap.ego Lodouicus* 63.*diſt.*ita Azorius 2.*parte lib.4.cap.2.quæſito* 2.*&* 3. Gondislaus Villadiego *de orig.& poteſt.Card.quæſt.*5.*num.*18. Albanus *loco cit.*

Reſpondeo ergo quartò, priuilegium Ca-

roli Magni fuiſſe perſonale, & conſequenter extincta perſona cui conceſſum fuerat, ceſſaſſe; Priuilegium verò Othonis fuiſſe quidem reale, ſed poſtea reuocatum fuiſſe: nam huiuſmodi priuilegium conceſſum fuerat per modum aduocationis, & defenſionis in vtilitatem Eccleſiæ; priuilegium autem aduocationis, & defenſionis reuocari poteſt à concedente, quoties ei viſum fuerit, cùm reſpiciat potiùs commodum concedentis, quàm priuilegiarij.

Reſpondeo quintò, huiuſmodi priuilegia reuocata fuiſſe, vt patet *ex primis quinque capitibus* 63. *diſt.* nam priuilegium licet reale, & conceſſum in remunerationem, & per modum contractus, reuocari poteſt, dum iuſta ſuperuenit cauſa reuocandi, vt patet ex dictis de priuilegiis, & *in Bulla Cœnæ Domini,diſp.*1. *quæſt.*21.*ſub finem*: legitima autem extitit cauſa reuocandi hæc priuilegia, tum quia laici priuilegio abutebantur, cùm poſtmodum vellent propria auctoritate intereſſe, nec recognoſcerent priuilegium ſibi ab Eccleſia collatum fuiſſe; tum quia promoueri ſæpe curabant eos, qui corruptis erant moribus, relictis iis, qui magna vitæ integritate ornati erant; tum quia in promotionibus ſimoniaca labes graſſabatur; tum quia ſua, vel ſuorum Legato-

rum

rum præſentia, ſchiſmata faciebant potius, quàm extinguebant. Vide Suarez *loco ſtatim citando.* Baronium *anno* 502. Azorium *cap.*2. Sopranum *lib.* 2. *cap.* 7. & alios præcitatos Doctores.

Reſpondeo ſextò Reges, & Imperatores, antiquis temporibus non elegiſſe propriè loquendo, ſed nominaſſe, præſentaſſe, vel confirmaſſe, & poſtea Pontificem ab Eccleſiaſticis abſolutè electum fuiſſe, electio enim propriè loquendo eſt actus Eccleſiaſticæ poteſtatis, præſentatio verò, & nominatio, poteſt eſſe actus ciuilis, ſicut etiam erat illorum Regum confirmatio, Electio enim Eccleſiaſticorum non abſolutè fiebat, ſed quaſi ſuſpendebatur, donec Imperator conſenſum, ſeu confirmationem præberet; & accedente illius confirmatione, electio ab Eccleſiaſticis abſolutè fiebat. Non nego tamen quin Laici poſſint de abſoluta Papæ poteſtate, eligere electione propriè accepta, ſicut etiam *de Cenſuris quæſt.*1. *puncto* 2. *n.* 4. docui ex eadem poteſtate poſſe cenſuras ferre; tum quia nulla aſſignari poteſt implicantia; tum quia non minus ſpirituale eſt ius arcendi aliquem à communione fidelium, quàm admittendi aliquem ad Eccleſiaſticam dignitatem; tum quia inde præiudicium Eccleſiæ non infertur, cùm Laici id

non agant proprio iure, ſeu ex iure ordinario; ſed ex commiſſione, ſeu facultate delegata dependenter ab Eccleſia, vt bene Suarez *in tomo de fidei defenſione, lib.3.cap.29. num.7. & ſeq.* Sopranus *de elect. Papæ, lib.1. cap.4.* & alij quos retuli, *quæſt.14. in expoſitione Bullæ Cœnæ.*

10 Obiicies tertiò, non ſolùm Imperator, vel eius Legatus aſſiſtebat electioni Papæ, verum etiam Populus vnà cum Clero ſemper interfuit electioni Papæ, & conſenſum præbuit electioni Epiſcoporum & Sacerdotum, vt colligitur *ex Canone ſacrorum, diſt.63.* Ergo falſum videtur electionem Papæ ad ſolos Cardinales pertinere; Bellarminus *lib.1. de Clericis, cap.11.* Azorius *2.part.lib.4.cap.5. quæſito 2.* & alij cum ſancto Chryſoſtomo *lib.3. de Sacerdotio*, docent populum per vſurpationem ſe ingeſſiſſe in electionibus Sacerdotum. Idem probat Suarez *in tomo de fidei defenſione, lib.3. cap.29. num.7.* Ego verò reſpondeo primò, populum nunquam electioni interfuiſſe, vt verè & propriè eligeret, modò loquamur de electione propriè accepta; non verò de facta per vſurpationem: nam ipſi interdicta erat electio in Concilio Laodiceno primo, in Concilio Martini Papæ, in Niceno XI. & in octauo generali Conſtantinopolitano; populus enim

enim electioni aſſiſtebat, non ad verè & propriè eligendum, ſed ad petendum, ad proponendum, ad teſtimonium ferendum de vita & moribus eligendi, ac denique ad præſtandum conſenſum, & licet alicubi habeatur elegiſſe; nihilominus non verè, propriè & poſitiuè elegit, cùm electio ſit actio Eccleſiaſtica, competens Eccleſiaſticis perſonis, ſed negatiuè quatenus non impediebat electionem ſuo teſtimonio, nec quidquam obiiciebat, aut quatenus perſonam proponebat, in eam conſentiebat, & acquieſcebat electioni, *cap. nullus, 61. cap. cleri, & cap. vota, 63. diſt.* ob id verbum eligere, aliter accipitur de Eccleſiaſticis, aliter de populo, etiamſi in eodem verborum contextu adhibeatur, ſicut ſanitas aliter accipitur de pulſu, aliter de medicina, aliter de habitu, aliter de homine, ſicut etiam Pilatus, turbæ, Sacerdotes, & milites Chriſtum crucifixerunt, ſed non omnes eadem ratione.

Hinc conciliari poſſunt Patres, quorum alij, vt Adrianus *in 8. Synodo*, prohibent Principes, Laicos immiſcere ſe electioni, alij verò, vt Stephanus Papa *in cap. quia ſancta 63. diſt.* decernunt Papam creandum eſſe concurrentibus Epiſcopis, Clero, & populo; illi Patres intelliguntur de electione propriè accepta, iſti de poſtulatione, teſtificatione, & conſenſu,

vt bene Bellarm. *lib.* 1. *de Clericis*. Azorius *loco citato quæſito* 4. Sopranus *lib.* 1. *cap.* 5. §. 2. & alij.

11 Hoc tamen tempore populus ad electionem non admittitur, propter incommoda, quæ ex ipſius præſentia ſequi poſſent: Populus enim antea admittebatur ad ſeditiones, & ſchiſmata vitanda, poſtmodum verò experientia docuit periculum ſeditionum, & ſchiſmatum ex præſentia populi imminere: præterea populus ex facultate Eccleſiæ adhibebatur ad proponendum, & teſtificandum, ad conſenſum præſtandum, ad defendendum electum, poſtea id ex proprio quaſi iure ſibi competere prætendebat, in electione ipſa ſe immiſcebat, & facultate ſibi conceſſa abutebatur, vide Bellarm. *lib.* 3. *de Sacerdotio*. Azorium *cap.* 2. *quæſito* 2. & 4. Tuſcum *tom.* 2. *concl.* 57.

12 Obiicies quartò, nemo dat quod non habet, ſed Cardinales non habent in ſe Pontificiam dignitatem: ergo neque eam dare poſſunt Papæ per electionem. Reſpondent nonnulli DD. Cardinales non habere Pontificiam dignitatem actu, ſed habitu, & virtute. Alij reſpondent Cardinales nominare, & deſignare perſonam, cui poſtea à Chriſto Pontificia dignitas confertur, ita Suarez *de fidei defen*

*defenſione,lib.*4.*cap.*6. *num.*7. alij aliter reſpondent; ſed ipſorum reſponſiones mihi non probantur; nec operæpretium cenſeo in ipſis refellendis immorari, cùm videri poſſint apud Albanum *quæſt.*22. apud Azorium *cap.* 2. *quæſito* 14. & apud alios DD. qui de hac re ex profeſſo tractarunt. Ego igitur reſpondeo Cardinales non dici propriè dare, vel conferre Pontifici poteſtatem, quia nemo dat quod non habet, neque dici ſolum nominare,præſentare, vel deſignare perſonam eligendam, cùm iuxta communem loquendi vſum dicantur Papam eligere, ſeu creare; dicuntur ergo propriè loquendo eligere, quia Pontificiam dignitatem per electionem tali perſonæ vniũt; nam qui duo coniungit, dicitur efficere id quod ex vtroque reſultat; ob id ſol & homo dicuntur hominem generare, quatenus ſua actione attingunt vnionem corporis ad animam;& Comes Palatinus ab Imperatore conſtitutus, cum facultate creandi Doctores, poteſt Doctorem facere, etiamſi forte ipſe Comes Palatinus Doctoratus laurea inſignitus non ſit; & Sacerdos dicitur gratum facere quem abſoluit, licet ipſe in gratia Dei tunc temporis non exiſtat, vt bene argumentatur Sopranus *lib.*1. *cap.* 12. Non tamen hinc ſequitur Cardinales debere in ſe poteſtatem

Pontifi

Pontificiam habere, vt eam alteri conferant, quia id non agunt auctoritatiuè, principaliter, & propria virtute, ſed miniſterialiter, & auctoritate ſibi delegata, immediatè à Sede Apoſtolica, cui à Deo collata eſt poteſtas.

13 Dices primò, Sedes Apoſtolica, ſeu Pontificatus non eſt poteſtas principalis, & auctoritatiua, ſed miniſterialis, cùm Chriſtus ſit caput ſuper omnem Eccleſiam, *Epheſ.* 1. & caput omnis Principatus, & poteſtatis, *ad Coloſſenſes* 2. Papa verò ſit miniſter, iuxta illud Apoſtoli, *Sic nos exiſtimet homo, vt ſeruos, & miniſtros Chriſti*; ergo Cardinales non eligunt auctoritate ſibi delegata à Papa.

Reſpondeo Pontificem dupliciter conſiderari poſſe. Primò reſpectu Chriſti, ſecundò reſpectu hominum quibus præeſt: ſi conſideretur reſpectu Chriſti, ipſius poteſtas eſt miniſterialis, cùm à Chriſto omnis Eccleſiaſtica poteſtas pendeat; ſi conſideretur reſpectu hominum, ipſius poteſtas eſt auctoritatiua, nullámque aliam in terris ſuperiorem agnoſcit, vt patet ex dictis *de Incarnatione*, dum loquerer de Chriſto capite. Hinc refelli poteſt Hæreticorum error, aſſerentium Pontificatum ſubiici Eccleſiæ vniuerſali, eo quòd poteſtatem miniſterialem, non verò auctoritatiuam habeat, refellitur enim præfata diſtinctione.

14 Dices

14 Dices ſecundò, ſi Cardinales miniſterialiter eligunt; ergo datur alius, nempe Papa, vel Deus, qui principaliter agit; conſequenter ſi eligatur indignus, electio indigni principaliter non imputabitur Cardinalibus eligentibus, ſed alteri. Si dicas ipſi Pontifici non imputari, quia Pontifex indigni electionem vetat. Contra arguitur, hinc ſequi electionem indigni inualidam eſſe, vtpote factam contra prohibitionem, ſeu mandatum Papæ; cùm enim Cardinales miniſterialiter agant, tanquam Mandatarij, non poſſunt formam mandati & facultatis ſibi præſcriptæ excedere: nam quæ Mandatarius vltra mandati formam agit, inualidè agit, *l. diligenter, ff. mandati.*

Reſpondeo dari alium qui principaliter eligit, & cui Pontificis electio principaliter imputatur, nempe Pontifices, qui Cardinalibus poteſtatem eligendi conceſſerunt, & Chriſtum, qui poſita deſignatione, ſeu electione iſtius perſonæ Pontificiam tribuit poteſtatem; non tamen hinc ſequitur malam deſignationem, ſeu electionem indigni quoad culpam, tribui Pontificibus aut Deo; tum quia à Deo tantum permittitur, & non impeditur, quatenus dat poteſtatem, qua electores malè vtuntur; tum quia iſta facultas eligendi, non habet propriè rationem mandati,

ti, neque data eſt ad eligendum hunc in particulari,ſed ſimpliciter ad eligendum, relicta, ſeu permiſſa electoribus libertate eligendi quem velint; iniuncto tamen ipſis præcepto eligendi dignum: expediebat enim hanc libertatem ipſis permitti, alioquin dubium ſemper in Eccleſia extitiſſet de vero Pontifice, & de actibus ab ipſo præſtitis, conſequenter electio indigni non eſt irrita, neque imputatur Chriſto, aut Pontifici qui eam in particulari non intendunt, ſed dignis de cauſis permittunt; ſicut peccatum non imputatur Deo, licet etiam ipſe principaliter tanquam cauſa vniuerſalis ad illius actum concurrat, vt patet ex dictis *de peccatis.* Item abſolutio Sacramentalis, ſeu baptiſmi adminiſtratio indignè, ſacrilegè, & culpabiliter facta à ſacerdote valida eſt, ſecluſo defectu ſubſtantiali; & tamen illa actio principaliter Chriſto tribuitur, ſed ipſi ad culpam non imputatur.

Rurſus matrimonium à Procuratore nomine Titij celebratum, iniuncto illi onere vt illud celebret præmiſſis denunciationibus validum eſt, etiamſi procurator denunciationes prętermittat, & contra præceptum, non ſolum Concilij Tridentini, verum etiam Titij faciat, vide quæ tradidi *de leg. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *puncto* 7. §. 5. *num.* 17. *& ſeqq.*

15 Obiicies

15 Obiicies quintò, ſi Cardinales poteſtatem haberēt eligendi, aut creandi Pontificem, poteſtatem etiam haberent deponendi; nam quę ſunt principia generandi, ſunt quoq; principia corrumpendi, *c. omnis, de regulis iuris*, & res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, *c. omnis 27. quæſt. 2.* & ſicut homo generat hominem, ita etiam poteſt occidere, & deſtruere: & ſicut contractus mutuo conſenſu perficitur, ita etiam diſſoluitur: ſed falſum eſt Cardinalibus facultatem deponendi Pontificem competere: ergo etiam falſum videtur ipſos poſſe Papam eligere & creare. Reſpondeo negando ſequelam maioris propoſitionis, falsò enim ex poteſtate eligendi Pontificem, arguitur poteſtas illum deponendi. Ratio eſt, tum quia Cardinales non eligunt auctoritatiuè, ſed miniſterialiter, auctoritate ſibi à Papa conceſſa; conſequenter excedere nequeunt facultatem ſibi conceſſam, ipſis autem non eſt conceſſa poteſtas deponendi Pontificem; tum quia falſum eſt generaliter loquendo, res per quas cauſas naſcuntur, per eaſdem diſſolui: nam votum propria voluntate contrahitur, ſed ſola voluntate non tollitur, & nodus ab vno perficitur, à quo explicari, & diſſolui aliquando nequit, & ſic de cæteris; tum quia Papatus eſt dignitas, & poteſtas,

alias

alias longè ſuperans & excedens; poteſtas autem quæ alias ſuperat, & excedit, non poteſt inferiori ſubiici, imò perſona ipſa in qua talis dignitas reperitur, etiamſi ſecundum ſe ſpectetur, inferiori ſubiici non poteſt: omnis enim forma ſuum effectum tribuit ſubiecto in quo recipitur; ſed Papatus eſt forma, ſeu dignitas, & poteſtas omnes alias ſuperans & excedens; ergo reddit perſonam in qua exiſtit, ſuper omnes dignam, & ab omni alia exemptam; ergo Papa à Cardinalibus, vel ab aliis deponi non poteſt, iiſque non ſubiicitur.

Neque obſtat dicere, non dedecere Papam, vt dicit hanc perſonam, præcisè ſubiici Cardinalibus, aut Generali Concilio, dedecere verò ſi ſpectetur hæc perſona Pontificia dignitate prædita; nam in Papatu tria diſtingui poſſunt, primum eſt Papatus, id eſt, Pontificia dignitas; ſecundum eſt perſona ipſa præcisè ſpectata, ſine Pontificia dignitate; tertium eſt perſona ipſa cui Pontificia dignitas adhæret. Reſpondetur enim etiam perſonam Pontificis præcisè ſpectatam aliis ſubiici non poſſe, quia illa abſtractio eſt conceptus mentis, & fit per intellectum, & ipſa perſona à parte rei exempta eſt, quia Pontificia dignitas effectum ſuum formalem tribuit ſubiecto cui inhæret.

16 Rogabis primò, vtrum Pontifex poſſit

facu lta

facultatem deponendi alios Pontifices Cardinalibus tribuere. Reſpondeo negatiuè, quia par in parem non habet imperium, *l.nam magiſtratus, ff.de recept.arbitr.cap.inferior, cap.denique 21. diſtinct.*

17 Ex quo patet differentia inter poteſtatem eligendi, & poteſtatem deponendi alium Pontificem, quòd Papa poteſt ſtatuere formã eligendi, & poteſtatem eligendi conferre ex communi Doctorum ſententia, quia hoc pacto agit circa Electores, electionem, & eligendum; quæ omnia præcedunt Pontificem: omnia enim fiũt antequam Pontificatum obtineat, & cauſa ſuum effectum præcedit, ſecùs dic de poteſtate deponendi, vt probatum fuit.

18 Rogabis ſecundò. Vtrum Papa poſſit ſe ipſum alieno iudicio ſubiicere. Reſpondent aliqui Doctores poſſe quidem in iis, quæ ad animæ ſalutem pertinent, ſe ipſum quoad perſonam ſubiicere, vt in foro Sacramentali, in quo ſe ſubiicit Confeſſario, vt abſoluatur; alioquin dignitas, quæ ipſi in fauorem collata fuit in odium verteretur; non verò poſſe in aliis, quæ ad animæ ſalutem non ſpectant, alieno foro ſe ſubiicere; tum quia dedecet ſupremum, ſuperiorem ab alio iudicari; tum quia maieſtas Summi Pontificis diminui non debet; tum quia licet Papa in cauſa hæreſis

à Concilio iudicetur, id non fit ex humana conceſſione præcisè. Alij verò arbitrantur Papam, non vt Papam, ſed vt perſonam cui Papatus adiunctus eſt, poſſe ſeipſum aliis ſubiicere, non ſolum in foro Sacramentali, verumetiam forenſi (ſalua tamen ſemper Sedis Apoſtolicæ reuerentia, & modò illi quibus ſe ſubiicit, purè Laici non ſint.) Ratio eſt, tum quia id non vergit, in diminutionem maieſtatis, ſed ad illam augendam, & amplificandam facit, vt Papa innocentiam ſuam probet; vel ſi peccauit, pœnam ſuorum peccatorum ſubeat; tum quia id fecit Marcellus Papa, *cap. nos ſi in competentem* 2. *quæſt*.7. hic enim ſe iudicio Concilij à ſe congregati ſubiecit, licet Concilium non admiſerit conceſſionem ſibi à Marcello factam; tum quia illa regula iuris habens poteſtatem à Principe, non poteſt ea vti contra Principem, *cap.inferior de maiorit. & obed.* cum ſimilibus, intelligi debet, non poſſe dicta poteſtate vti cum detrimento Principis, vel contra ipſius voluntatem; tum quia Papa, ſicut ſe quoad perſonam ſubiicit Confeſſario, Medico, Chirurgo, ita etiam ſubiicere ſe poteſt iudiciali foro, tum quia Papa, cui adhuc ſuperſtites ſint parentes, in ſententia nonnullorum Doctorum ſubiicitur parētibus quoad honorem,

&

& obligationem illis ſubueniendi: parentes enim ſuo iure non priuantur, ob aſſumptionem filij ad Pontificatum: quanquam gloſſa *in extrauag. execrabilis, de præbend. inter extrauagantes Ioannis* 22. & Azor. 2.*part. lib.*4. *cap.*3. *quæſito* 2.*verſ. Vndecimum*, & alij putant Cardinales, & multò magis Papam, aſſecutione Cardinalatus, vel Papatus ab omni patria poteſtate eximi; ergo &c. ita Panormitan. & Ioannes Andreas *in cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ de conſtitut.* Sopranus *lib.*1. *de elect.cap.*18.§.5. & alij apud Azorium 2.*part. lib.*4.*cap.*7.*quæſ.*6. apud Salmeronem *tom.*12.*tract.*17. & apud Iacobatium de Concilio *lib.*6. *art.*14. vbi de hac re fusè diſſerit.

19 Hinc à fortiori ſequitur, Papam quoad perſonam in cauſa hæreſis, à Concilio iudicari poſſe; tum quia Chriſtus hanc poteſtatem contulit, volens eum quem ſuper familiam ſuam conſtituit, in hac tantum cauſa per Concilium iudicari: tum quia Pontifex in hoc conſentit; dum enim poſt electionem & conſecrationem ſpondet ſe Canones & ſtatuta diuinum ius continentia ſeruaturum, eo ipſo conſenſum præſtat, vt ſi in hæreſis crimen incidat, à Concilio iudicari poſſit, ita Azorius 2.*part.lib.*4.*cap.*7.*quæſito* 2. & alij. Verùm quid ego in præfato dubio, & in cauſa

hæreſis ſentiam, patet ex dictis *in Bulla Cœnæ, diſp.* 1. *quæſt.* 2. *puncto....num.* 12. vbi plures Doctores pro mea ſententia retuli, quibus adde S. Thomam Panormit. Turrecrematam, & alios apud Azorium 2. *part. lib.* 4. *cap.* 7. *quæſ.* 8.

20 Rogabis tertiò, vtrùm Papa teneatur vinculo iuramenti, quòd Cardinales ſibi mutuò extorquent, iurantes, ſe adepto Pontificatu, non vſuros poteſtate Pontificia, tali, & tali occaſione; vt ſi iurent ſe neminem canonizaturos, nouas religiones non approbaturos, bona non alienaturos, aut ſimilia ſine conſenſu Cardinalium non acturos. Reſpondeo Pontificem ligari vinculo iuramenti, vt patet ex dictis *de legibus*; nam obligatio iuramenti oritur ex iure diuino, aut etiam ex naturali. Hoc tamen intelligitur, modò iuramentum non cadat in materiam illicitam, vel indifferentem, quæ alterius commodum non ſpectet, vel ſuper omiſſionem contrariam diuino cultui, aut animarum ſaluti, cuiuſmodi eſt iuramentum de nullo in Sanctorum numerum cooptando, de non approbanda de nouo vlla religione, de non excommunicando vllo Principe, & ſimilibus. Vide quæ tradidi de iuramento *in tractatu de legib.* & præterea Andr. Barbatiam *tom.* 1. *conſil.* 1. Petrum Anchara-

num

num *conſil.* 269. Iacobatium *lib.7. de Concilio, art.5.* Albanum *de Cardinalibus quæſt.* 36. Sopranum *de elect. cap.* 18. §. 4. & Azorium *tom.2. lib.2. cap.5. quæſ.*10. quorum nonnulli aſſerunt, Pontificem huiuſmodi iuramento non ligari, quia Pontificiæ auctoritati aliqua in parte derogat. An autem Papa poſſit ſibi iuramenti vinculum relaxare, aut alteri, qui ſecum diſpenſet, facultatem concedere, patet ex dictis de excommunicatione, quæ ob alienationem bonorum Eccleſiaſticorum contrahitur *in lib. variar. tractationum, de iuramento, & de diſpenſationibus in tract. de legibus.*

Rogabis quartò, vtrum Papa poſſit ſe ipſum deponere, ſeu Papatum à ſe abdicare, ſeu Papatui cedere.

Reſpondeo primò, non poſſe cedere, & renunciare per modum reſignationis propriè acceptæ, quia Papa in terris ſuperiorem non habet, reſignatio autem propriè accepta, fit in manibus ſuperioris, ob id, viuente Paulo IV. in controuerſiam vocatum fuit, an valida eſſet ceſſio Imperij, qua Carolus V. Imperium fratri Ferdinando inconſulto Papa ceſſerat.

Reſpondeo ſecundò, non poſſe ſeipſum deponere, ſeu cedere iudicialiter per modum depoſitionis; tum quia depoſitio fit auctoritatiuè, & cum iuriſdictione ſuperioris, Papa au-

rem non habet ſuperiorem; tum quia nemo in ſeipſum iuriſdictionem exercere poteſt, nullus enim imperium in ſe ipſum habet.

Reſpondeo tertiò, Papam poſſe Papatui cedere, per modum ſimplicis renunciationis, abdicando à ſe poteſtatem iuriſdictionis per actum voluntatis ſufficienter expreſſum, & à Cardinalibus acceptatum. Ratio eſt, tum quia ſicut Papatus obtinetur conſenſu in electionem, ita amittitur diſſenſu ſufficienter manifeſtato, & acceptato: res enim per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, niſi res in alterius poteſtate conſtituta ſit, aut alterius ſit quæſitum, vt in voto, & ſimilibus, iuxta dicta *num.* 15. tum quia Celeſtinus Papatui ceſſit; tum quia ſic ſancitum fuiſſe à Bonifacio VIII. patet, *ex cap.* 1. *de renunciatione in* 6. Ita communiter Doctores apud Iacobatium *lib.* 6. *art.* 14. *de Concilio*, apud Ægidium Columnam *in tract. de renunciat. Papat.* apud Pariſium *de reſignat. lib.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 4. apud Albanum *de Cardinal.* apud Sopranum *lib.* 1. *de elect. cap.* 18. §. 3. Imò Caietanus exiſtimat Papam poſſe Papatui renunciare, etiam ſola ſua voluntate; idem ſentire videtur. Azor. 2. *p. lib.* 4. *c.* 6. *quæſ.* 2. & Iacobat. *lib.* 6. *art.* 14. *n.* 13. Sed cõtrarium verius eſt, vt patet ex prima ratione tertiæ propoſitionis, & docet idẽ Azor. *c.* 7. *quæſ.* 6. *ſub finem.*

His

His præmiſſis nonnullæ adhuc difficultates emergunt, quarum ſolutio non leuiter conducit ad cognoſcendam Cardinalium facultatem circa Romani Pontificis electionem, eas autem in quæſitis proximè ſequentibus proponam, diluam, & diſſoluam.

---

## §. I.

## Quinam Cardinalium nomine veniant, & cur Cardinales hoc nomine vocentur.

### *SVMMARIVM.*

1 *Cardinalium nomine quinam veniant.*
2 *Cardinales cur hoc nomine vocentur.*
3 *Cardinalatus non ſolum eſt nomen dignitatis verum etiam officij.*

### PRIMA PROPOSITIO.

1 NOmine Cardinalium, ſi loquamur iuxta communem loquendi formam hoc tempore vſu receptam, intelligo ſolùm Præſules R. E. purpuratos, conſiliis Summi Pontificis aſſiſtentes, & ad Papæ ele-

ctionem deputatos, vt omnes norunt, iſti enim hoc tempore per antonomaſiam Cardinales vocantur; aliàs verò etiam in iure Canonico Cardinales vocabantur, alij Clerici, qui ſuo Præſuli aderant, illúmque ſuo conſilio iuuabant in adminiſtratione diœceſis, vel prouinciæ; ob id Canonici Eccleſiarum Cathedralium Mediolanen. Rauennaten. & nonnullarum aliarum, Cardinales vocabantur; & dum Iura Cardinalem Romanum ſingulariter nominant, ſemper addunt Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ad diſtinctionem eorum, qui Cardinales aliàs nuncupabantur.

## SECVNDA PROPOSITIO.

2 CVr hoc nomine Cardinales vocentur à Doctoribus, rationes aſſignantur; aliqui enim putant, Cardinales hoc nomine vocari, eo quòd Apoſtolicæ Sedi inſeruiant, quæ eſt veluti cardo, & axis aliarum Eccleſiarum. Alij etymologiam ſumunt à cardine, eo quòd ſuper ipſos nitatur, & vertatur oſtium, id eſt Papa: vel, vt alij volunt, à cardine, eo quòd ipſis ſumma rerum omnium grauiorum totius prouinciæ, vel diœceſis incumbat; ad hoc enim ab initio inſtitutos fuiſſe putant Cardinales. Alij denique arbitrantur dici à cardine,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ne,eo quòd vtrumque cardinem,vitæ ſcilicet, & interitus cuſtodirent, & quaſi ad oſtium adſtarent, dum homines ad vitam ingrederentur,vel ex hac vita egrederentur:Cardinales enim ex prima ſui origine inſtituti fuerunt ad baptizandos infantes, qui in hanc lucem educuntur, & ad ſacramenta iis adminiſtranda,qui ex hac vita migrant, teſte Archidiacono *in cap. vbi periculum, de elect.in 6.* & aliis apud Barbatiam *de præſtant. Card. quæſt.*1. Albanum *de Card.quæſt.*3. & apud Sopranum *de elect. lib.*1. *cap.*10. præcipuum enim in Eccleſia munus fuit Baptiſmi Sacramentum conferre,quod eſt oſtium Sacramentorum; Chriſtus enim Apoſtolis dixit, *Euntes docete omnes gentes baptizantes, &c.* & hoc munus tanti fiebat,quanti eſt vitam bene inſtituere, illamque ſancto fine claudere.

Hinc ortæ ſunt diſſenſiones, & hæreſes in Eccleſia, dum vnus potius ab vno quàm ab alio ſibi Baptiſmum conferri curaret, ac ſi non idem effectus ab omnibus conferretur. Hinc etiam cenſeo varios Cardinalium titulos inſtitutos, vt vnus Cardinalis in vna vrbis regione, alius in alia adeſſet, ad ſacra miniſtranda, & ad pandendum oſtium, qui Chriſtus eſt, in Eccleſiam militantem, & triumphantem;quamuis poſtea Cardinalium onera,

& munera variata fuerint , & præſertim ad conſilia Papæ adhiberi cœperint.

3 Ex quo licet inferre Cardinalatum in prima ſui inſtitutione,non ſolum eſſe dignitatem,vt aliqui arbitrãtur,verum etiam officiũ, cui ſemper annexa fuit dignitas;nam dignitas ſecũdum ſe eſt qualitas,ſeu conditio cui debetur honos,ſiue hæc conditio, ſeu qualitas fundetur in ſãguine,ſiue in meritis,ſiue in Principis priuilegio ; officium verò ſignificat munus ad opus aliquod præſtandum ; quod ſi opus honorificum ſit,vocatur dignitas;ſi ſordidum, vel indifferens, non eſt dignitas ; vide Cardinalem Tuſcum *concl.* 7. Alban. *de Cardin. quæſt.*6. Azorium 2.*p.c.*1.*quæſ.*8. & Sopranum *loco citato*. Martinum Laudenſem *de Cardinal. tract.*2. *quæſt.*17. Andream Barbatiam *de præſtant.Card.q.*1.*n.*11. *&* 33. & Iacobat. *de Concilio lib.*1.*art.*1.*num.*246.*& lib.*3.*art.*1.*num.*76.

---

## §. II.

## A quónam Cardinales inſtituti fuerint, & ad quem creatio Cardinalium pertineat.

*SVMMARIVM.*

1 *Cardinales à quonam primò inſtituti fuerint.*

2 *Cardina*

2 *Cardinalibus Regia quaſi dignitas competit.*
3 *Cardinalium creatio ad quem pertineat.*

## PRIMA PROPOSITIO.

1 HIc loqui poſſumus de Cardinalibus in genere, vel de Collegio Cardinalium; ſi loquimur de Cardinalibus in genere, qui ab initio inſtituti fuerunt ad cuſtodiendum introitum, & exitum hominum, vt dictum eſt §.*præcedenti*, nihil certi definiri poteſt, quia nullus rerum antiquarum Scriptor, & Hiſtoriographus de ipſorum origine mentionem fecit, & nulli fides adhibenda eſt, niſi vel ipſe audierit, vel Auctorem referat, à quo audiuit, & qui conſuli poſſit: quanquam aliqui putant Cardinales à Marcello *ſub annum Chriſti* 314. Alij à Pontiano *circa annum* 360. inſtitutos fuiſſe. Alij aliter ſentiunt; vide Manfredum *de Cardinal. deciſione* 78. Albanum *de Cardinalibus, quæſt.*234. Turrecrematam *in Clement.ne Romani.* Barbatiam *in tract. de præſtantia Card. quæſt.*1. Martinum Laudenſem *quæſt.*27. & Iacobatium *de Concilio lib.* 1. *art.*1. *num.*245. *in tractatibus tomo* 13.*part.*10. Si verò loquamur de Collegio Cardinalium, ſeu de augmento, & dignitate Cardinalium S. R. E. probabiliſſimum cenſeo id à Syluestro Papa factum

factum fuiſſe; ratio eſt, tum quia perſecutorum rabies Conſtantino regnante ceſſare cœpit, & Papa Collegium Cardinalium qui ſibi à conſiliis ſtarent, & rebus magni momenti definiendis ex officio præeſſent, ſibi aſſiſcere, & deligere potuit; tunc enim primùm cauſæ grauiores omnium Eccleſiarum ad Sedem Apoſtolicam liberè deferri cœperunt; tum quia Papa obtenta Vrbe à Conſtantino, & translatis Conſtantinopolim maiori ex parte Senatoribus, par fuit, vt ſacrum Collegium Cardinalium inſtitueret, vt ſicut Senatores Imperatori aſſiſtebant, ita iſti Papæ adeſſent, & controuerſiis definiendis operam darent, ob id Collegium Cardinalium ſacer Senatus in iure nuncupatur.

Ex quo patet, probandam non videri opinionem illorum apud Albanum *quæſt*.5. qui arbitrantur Papam, ſemper habuiſſe Cardinalium cœtum, quamuis enim Papa modò opera vnius, modò alterius vteretur, non tamen hinc ſequitur Cardinalium cœtum ipſi adfuiſſe, ſed certo aſtantium cœtu, & Collegio indiguiſſe, quod Collegium non ſolum ipſe inſtituit, verum etiam pluribus auxit, & amplificauit, & *in cap.Præſul.2.quæſt.*5. ſtatuit, vt Præſul non damnetur niſi cum 72. teſtibus, Presbyter Cardinalis, niſi cum 44. Diaconus

verò

verò Cardinalis vrbis Romæ, niſi cum 27. Alij ſubſequentes Pontifices nouis priuilegiis ſacrum Collegium locupletarunt, Innocentius IV. Galerum rubrum tribuit, illúmque deferri iuſſit. Paulus II. habitus purpurei delationem præcepit ad indicandam Regiam dignitatem qua Cardinales gaudent; purpura enim olim vtebantur Reges, Imperatores, & ij qui Regibus, vel Imperatoribus conſanguinitate, affinitate vel neceſſitudine proximè accedebant.

2 Cardinalibus Regiam quaſi dignitatem competere colligitur, tum ex *cap. felicis, de pœnis in 6.* vbi inferentes iniuriam Cardinalibus tanquam rei læſæ Maieſtatis puniuntur; tum quia ſunt veluti vnum corpus cum Summo Pontifice, cuius corporis caput eſt Summus Pontifex, Cardinales membra: perſpicuum autem eſt Summum Pontificem Regia, & Imperiali dignitate frui, tum quia ita ſentiunt Iaſon *l. centurio, ff. de vulgar. & pupillar. inſtitutione.* Card. Iacobatius *de Concilio lib. 1. art. 1. num. 264.* Barbatius *de Cardinal. quæſt. 1. n. 24.* Albanus *de Cardinal. quæſt. 6. & 42.* Azorius *2. part. lib. 4. c. 3. quæſito* 18. & 20. Tuſchus *tom. 1. lit. C. concl. 99. & ſeq.* Sopranus *lib. 1. cap. 10. §. 2. ad finē.* Martinus Laudenſis *de Cardinal. q. 7. & 40.* Manfredus *deciſ. 19. & ſeqq.* & alij cōmuniter.

SECVN

## SECVNDA PROPOSITIO.

3 CReatio Cardinalium pertinet ad Papam, non ad alios; ratio eſt, quia nullibi reperitur hanc facultatem aliis conceſſam fuiſſe: ex quo ſequitur primò Cardinales, ſeu Cardinalium Collegium non poſſe Cardinalem creare, quamuis enim ius habeant eligendi Papam, non tamen poteſtatem habent creandi Cardinales; & à diſparatis,& diuerſis non valet illatio, *leg.Papinianus exuli,ff.de minor.* Secundò ſequitur Concilium Generale non poſſe creare Cardinales, vt patet ex ratione proximè allata;niſi fortè Concilium Generale auctoritate Papæ, cum huiuſmodi facultate congregatum ſit, ita Azorius 2.*part.lib.*4.*cap.*1. *quæſito* 7. contra Iacobatium *de Concilio lib.*6. *art.*7. *quæſt.* 1. & Manfred. *de Card.deciſ.*386.

Rogabis vtrum Papa, abſque Cardinalium aſſenſu Cardinalem creare poſſit. Reſpondeo affirmatiuè, tum quia inſtitutio Cardinalium eſt de iure humano, cui Papa ex vi coactiua non ſubiicitur; tum quia Papa poteſtatem ſuam à Chriſto immediatè habet, non ab homine; vſu tamen receptum eſt, vt Papa neminem ad Cardinalatus apicem promoueat, re Cardinalibus non communicata, creatio

enim

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

enim Cardinalium res magni momenti eſt, Papa autem res magni momenti abſque Cardinalium conſilio expedire non ſolet, & cùm ipſe homo ſit, aliorum conſilio indiget, non verò conſenſu ad valorem actus, ita Felin. *in rub. de conſtit.* & alij apud Azorium *loco citato, & cap. 3. quæſito* 19. & apud Albanum *de Card. quæſt.* 39. contra Baldum Archidiaconum, & alios apud præcitatos Doctores, & apud Barbatium *conſ.* 40. *tom.* 4. apud Martinum Laudenſ. *de Cardin. quæſt.* 2. *tract.* 1. & apud Manfred. *cap.* 13.

---

## §. III.

## A quónam Cardinales acceperint poteſtatem eligendi Papam, & quandónam eligere incœperint.

*SVMMARIVM.*

1 *Cardinales à quónam facultatem eligendi Pontifices acceperint.*

2 *Apoſtoli quomodo Petrum in Pontificem elegerint.*

3 *Cardinales dicuntur habere facultatem eligendi Pontificem potius delegatam quàm ordinariam.*

4 *Cardina*

4 *Cardinales quandónam ſoli Pontificem eligere incœperint.*

## PRIMA PROPOSITIO.

1 CArdinales facultatem eligendi Papam acceperunt immediatè à Papa, ex facultate ipſi à Chriſto conceſſa; non verò ex iure diuino immediatè. Ratio eſt, tum quia nullus textus ex veteri, vel nouo Teſtamento afferri poteſt, quo hanc facultatem ipſis iure diuino competere probetur; tum quia Cardinalatus non eſt officium, & dignitas ordinis, ſed adminiſtrationis; ſed omne officium iuriſdictionis in Eccleſia (excepto Papatu, quod à Chriſto immediatè collatum fuit Petro) à Papa pendet, cùm ipſius voluntate inſtituatur, augeatur, minuatur, varietur, *cap. omnes 22. diſt. cap. in nouo 21. diſt. & cap. nulli 99. diſt.* ergo immediatè pendet à Papa, alioquin Papa non poſſet illud inſtituere, & variare; tum quia ſi hoc ius ipſis ex iure naturæ, vel diuino competeret, Papa non poſſet eos ab electione repellere; tum quia Clerus cuiuſcunque Eccleſiæ auctoritatem eligendi ſuum Præſulem habet à Summo Pontifice; alioquin Papa illam ſibi pluribus in locis non reſeruaſſet: ergo illam etiam à Papa habent Clerici,

Clerici, ſeu Cardinales eligendi Papam; ſicut enim ſe habet Clericus particularis ad ſuum Præſulem eligendum, ita ſe habet totus Clerus, vel Clerus Romanus, ſeu Cardinales ad ſuum; tum quia S. Petrus Epiſcopos per diuerſa loca conſtituit, etiam antequam vlli fideles in illis locis adeſſent, vt probat Bellarminus *lib. 1. de Cler. cap. 9.* Ergo poteſtas eligendi à Pontifice deriuatur; tum quia caput politicum præeſt omnibus membris, in illa influit, illáque dirigit: ſed Summus Pontifex eſt caput Eccleſiæ politicum, fideles membra: ergo præeſt omnibus Chriſti fidelibus, illóſque dirigit, & poteſtatem, ac iuriſdictionem influit; tum quia Papa eſt Chriſti Vicarius in terris: Vicarius autem cum plena poteſtate relictus, totum id præſtare poteſt Vicaria poteſtate, quod facit Prælatus poteſtate principali; ergo ea poteſtas quam Eccleſiæ Miniſtri habent, à Chriſto tanquam ſummo capite & Paſtore, illam eandem habent, à Pontifice, vt à capite, ſub capite, ſeu tanquam Chriſti Vicario, cum plenitudine poteſtatis conſtituto; tum quia ſic colligitur, *ex cap. Romanorum* 19. *& cap. ſolitæ de maiorit. & obed.* vbi habetur Papam eſſe Chriſti Vicarium, cum plenitudine poteſtatis conſtitutum, vt omnibus Eccleſiæ neceſſitatibus conſulere poſſit: tum quia ſic colligitur,

*ex cap. in nomine Domini 23. diſt. cap. vbi periculum, in 6.* & *Clement. ne Romani de elect.* idémque coram Beſſarione Cardinale Niceno, aliàs definitum fuiſſe tradit Barbatius *quæſt.* 1. *de Cardinalibus*, *num.* 20. licet ipſe Barbatius *loco citato.* Albanus *quæſt. de Cardinali.* Anaſtaſ. Germon. *de ſacror. immunit. lib.* 3. *cap.* 6. & alij exiſtimauerint Cardinalatum eſſe de iure diuino, & eligendi facultatem ad Cardinales, iure diuino ſpectare.

2 Dices Apoſtoli elegerunt ſibi Petrum, *cap. in nouo* 21. *distinct.* ergo Cardinales iure diuino eligunt Pontificem.

Reſpondeo primò antecedens falſum eſſe. Petrus enim à Chriſto electus fuit, Apoſtoli verò conſenſerunt, & ſua voluntate approbarunt, ſeu recognouerunt electum à Chriſto, vt patet ex *cap. Sacroſancto* 22. *diſt.*

Reſpondeo ſecundò, negando conſequentiam, ex facto enim Apoſtolorum non ſequitur Cardinales eligere iure diuino; alioquin Cardinales iure diuino tenerentur ſibi prouincias viſitandas eligere, prædicare, omnia in commune conferre, & ſimilia quæ ab Apoſtolis facta fuiſſe conſtat. Alias obiectiones affert Barbatius, ſed illas tanquam leuis momenti omitto.

3 Hinc colligi poteſt primò, ſolutio illius difficul

difficultatis qua quæritur, vtrum Clericis,ſeu potius facultas eligendi Cardinalibus competat ex facultate ordinaria, vel potius ex delegata, & miniſteriali; licet enim vno ſenſu dici poſſit competere per modum poteſtatis ordinariæ,quatenus hæc poteſtas ex diſpoſitione Papæ annexa eſt Cardinalatui, & Cardinales ſtatim adepto Cardinalatu, ius habent Pontificem eligendi Sede vacante,nihilominus alio ſenſu dici poteſt competere ex facultate delegata, & miniſteriali, quia qui facultatem habent eligendi ad aliquam dignitatem, & officium quod dignitatem ipſorum eligentium excedit, non poſſunt hoc iure ordinario, ſeu ex propria facultate, ſed ex poteſtate ſibi à ſuperiore collata præſtare ( nihil enim vltra ſuas vires agit,niſi aliunde vires acquirat, nec vllus dat quod non habet.) Sed dignitas Pontificis excedit dignitatem Cardinalium; ergo Cardinales non poſſunt Pontificem facultate ordinaria, ſed potius delegata, & miniſteriali eligere, ita Sopranus *de electione Papæ, lib.* 1. *cap.*6.*verſ.Dico ergo.*

## SECVNDA PROPOSITIO.

4 QVandónam ſoli Cardinales eligere inceperint non conſtat, quia ignoratur Papa,à quo facultas eligendi reſtricta, &

ſolis Cardinalibus primò communicata fuit; perſpicuum tamen eſt Cardinales iam diú hoc iure præditos eſſe, vt patet ex *cap. licet, de elect.* in quo Alexander III. qui creatus fuit circa annum 1170. præſcribit ad electionem Papæ numerum duarum ex tribus partibus Cardinalium.

---

## §. IV.

## An Cardinales facultatem habeant eligendi Papam ſolum Sede vacante, eámque ſinguli habeant, an ſolum Collegium Cardinalium.

*SVMMARIVM.*

1 *Cardinales eligendi poteſtatem habent quoties Sedes vacat, ſiue vacet per mortem, ſiue alia ratione.*

2 *Cardinales an ſinguli facultatem habeant eligendi, vel ſolum Collegium.*

3 *Cardinales vnus vel duo in Conclaui exiſtentes aliis è Conclaui egreſſis, vel extinctis an Pontificem eligere poſſint.*

4 Cardina

4 *Cardinales Concilium Generale Sede vacante conuocantes, an poſsint ipſi Pontificem eligere, vel potius eligendi facultas Collegio competat.*

## PRIMA PROPOSITIO.

1 CArdinales circa electionem Summi Pontificis habent ius proximum, & in actu, ſolùm mortuo Summo Pontifice, aut Sede vacante, ſiue Sedes vacet per mortem, ſiue per renunciationem, ſiue alia ratione. Ratio eſt, quia Pontifices contulerunt Cardinalibus facultatem eligendi ſolum Sede vacante; ergo eligere nequeunt viuente Summo Pontifice; tum quia viuente Pontifice poteſtatem eligendi habent ſolum in habitu, & non in actu, ſicut eſt ius hæredis ſuperſtite adhuc teſtatore, aut ius ſubſtituti in fideicommiſſo, viuo adhuc illo qui prius inſtitutus fuit; tum quia *in Clement. ne Romani, de electione*, irritatur quicquid factum fuerit à Collegio Cardinalium pertinens ad iuriſdictionem, & poteſtatem Summi Pontificis: electio autem Papæ pertinet ad poteſtatem Papæ, cùm Cardinales non eligant auctoritatiuè, & iure proprio, ſed miniſterialiter, auctoritate ſibi à Papa conceſſa; ita ſentire videtur Panormitanus, Suarez,

Salas, Manfredus, & alij quos retuli *de legibus, diſp.*1. *quæſt.*1. *puncto* 3. *num.*25. quibus adde Cardinalem Tuſchum *tom.* 2. *lit. E. concl.*57. *num.*19. Iacobatium *lib.*4. *art.*3. *& lib.*6. *art.*9. *num.*10. Sopranum *lib.*1. *de elect. cap.*17.

## SECVNDA PROPOSITIO.

2 SOlum Collegium Cardinalium adæquatè, & proximè facultatem habet eligendi Pontificem, ſinguli verò inadæquatè, & remotè; Collegium enim ex multis ſingularibus perſonis conflatur. Ratio eſt, tum quia ad electionem Summi Pontificis neceſſariò requiruntur ſuffragia duarum ex tribus Cardinalium partibus in Conclaui exiſtentibus; ergo poteſtas eligendi adæquatè, & proximè, pertinet ſolum ad Collegium; tum quia Summi Pontifices mandant in electione Pontificis, tractatus de electione haberi, Cardinales debere ſimul agere, conuentum habere, & ſimilia, *cap. in nomine Domini* 23. *diſt. cap. ne Romani, de elect.* & alibi: ſed hæc ſunt propria Collegij; ergo facultas eligendi non competit proximè, & adæquatè ſingulis Cardinalibus, ſed Collegio.

3 Dices ſi vnus, vel duo Cardinales, aliis è Conclaui egreſſis, vel extinctis, ſupereſſet,

poſſet

poſſet ſolus Papam eligere, ergo poteſtas eligendi ſingulis proximè competere videtur, & non tantum Collegio; vt enim res Collegialiter agatur, tres ſaltem perſonæ requiruntur, *l. Neratius, ff. de verbor. ſignific. & cap. 1. de elect.*

Reſpondent aliqui negando antecedens, quia vnus, vel duo Cardinales Collegium non conſtituunt, conſequenter in tali euentu electio pertinet ad Romanum Clerum, vel ſaltem conuocandum eſt Generale Concilium, ita Sopranus *lib. 1. cap. 11.* & alij quos tacito nomine innuit Azorius, & Manfredus *deciſ.* 382. & patet ex ſupradictis *puncto 1. num. 3.*

Alij verò arbitrantur vnum vel duos Cardinales ſuperſtites, poſſe Papam in tali euentu eligere; tum quia Collegium Cardinalium in vno virtualiter remanere poteſt; multa enim ad eum ſtatum recidunt in quo remanent; à quo tamen validè incipere non poſſent, *l. ſi optio, ff. de optio. legat.* tum quia Sede vacante ea permittuntur Cardinalibus, quæ pertinent ad electionem Papæ, *cap. vbi periculum, de elect.* ita Gloſſa *in Clement. ne Romani de elect.* Cardinalis Imola, Panormitanus, Innocent. Iaſon, & alij quos citat & ſequitur Albanus *quæſt. 23. & 25. de Cardinalibus.* Gondislaus Villadiego *de orig. & poteſt. Cardinal. quæſt. 5. num. 26.*

*num.* 26. Rodriquez *tom.* 2. *quæſt.* 63. *art.* 11. Manfredus *de Cardinal. deciſ.* 268. 287. & 291. Salas, & alij, quos retuli *de legibus diſp.* 1. *quæſt.* 1. *puncto* 3. Quid autem faciendum ſit dum omnes exierunt, & vnus poſtea reuertitur, vel plures, videri poteſt apud Albanum *quæſt.* 27. & conſtabit ex infrà dicendis.

4 Quæres vtrum Concilio Generali, vel potiùs Cardinalibus competat ius eligendi Pontificem, ſi Cardinales Sede vacante Concilium conuocari iubeant, dum electionem aliter expedire non poſſunt. Reſpondeo ius & facultatem eligendi etiam tunc temporis Cardinalibus competere, quia Cardinalibus, & non Concilio huiuſmodi facultas à Papa conceſſa fuit, & facultas à ſuperiore conceſſa, non poteſt ab inferiori immutari, lædi, vel reſtringi, *cap. inferior de maiorit. & obed.* Concilium autem Generale inferius eſt Summo Pontifice; ergo non poteſt priuilegium Cardinalium lædere, variare, vel reſtringere; vide Albanum *quæſt.* 35. & Iacobatium *lib.* 6. *art.* 4. & alios proximè citandos.

Obiicies Concilium Generale eſt ſuperius omnibus aliis Eccleſiaſticis Capitulis, Cœtibus, & Collegiis; ergo etiam Collegium Cardinalium illi ſubiicitur, conſequenter facultas eligendi ad Concilium Generale potius,

tius, quàm ad Collegium Cardinalium in tali euentu ſpectare videtur.

Reſpondeo Collegium Cardinalium non ſubiici Concilio Generali in iis, quæ Collegium Cardinalium agit auctoritate Papæ, ſeu quoad ius ipſum electionis, vt patet ex ratione ſuperiùs allata, niſi fortè Cardinales iuri eligendi cedant, aut niſi dubium ſit ipſos eſſe veros Cardinales, vt ſi Cardinales tēpore ſchiſmatis creati ſint ab eo, quem non conſtabat eſſe verum Papam; tunc enim præfati Cardinales Concilio Generali ſubiiciuntur, quia non conſtat de iure huiuſmodi Cardinalium, conſtat verò Concilium Generale poteſtatem in tota Eccleſia habere; vide Albanum *quæſt.* 35. 39. *&* 43. *de Cardinal.* Iacobatium *de Concilio lib.* 6. *art.* 9. vbi de hac re fusè tractat, Manfredum *deciſ.* 245. Cardinalem Tuſchum *tom.* 2. *lit. E. concl.* 57. *num.* 19. Sopranum *de elect. lib.* 1. *cap.* 18. *art.* 2. Azorium 2. *part. lib.* 4. *cap.* 2. *quæſito* 13. quorum aliqui, vt Albanus, & Azorius obſeruant, Concilium Generale poſſe iuſta de cauſa facultatem eligendi Cardinalibus ad tempus adimere.

5. Quæres vtrùm Pontifex poſſit ſibi ſucceſſorem, ſaltem de plenitudine poteſtatis eligere.

Reſpondeo iſtam quæſtionem proponen-

dam, & diſſoluendam eſſe ad finem primæ diſputationis.

---

# PVNCTVM II.

## An Electores liberè & ſponte debeant eligere, & an electio facta per metum valida ſit.

### *SVMMARIVM.*

1 *Electio Pontificis valida nō eſt niſi liberè fiat.*

2 *Inualida eſt electio Pontificis facta per metum, etiamſi de huiuſmodi metu omnibus Cardinalibus non conſtet.*

3 *Electio facta per metum leuem valida eſt.*

4 *Electio facta per metum Cardinalibus in genere incuſſum ad eligendum valida eſt.*

5 *Electio facta per metum incuſſum ad eligendum aliquem certi generis, vel nationis, valida eſt.*

6 *Electio valida eſt dum metus incutitur ad excludendas perſonas certi generis, aut certam aliquam perſonam.*

7 *Electio facta metu aëris inficiendi, valida eſt.*

8 *Electio facta per metum à Deo miraculosè incuſſum, valida eſt.*

9 *Electio facta à Cardinalibus audientibus Turcas adeſſe, valida eſt.*

10 *Electio Vrbani VI. valida fuit, etiamſi fortè per metum initio facta fuerat.*

## VNICA PROPOSITIO.

1 VT electio valida ſit, opus eſt, vt Cardinales liberè eligant, & non per metum grauem incuſſum ab homine ad certam aliquam perſonam eligendam. Ratio eſt, tum quia electio ex ſua natura libertatem requirit ad eligendum vnum ex pluribus, *cap. vbi periculum de elect. §. cæterum*, ibi *ceſſat electio, dum libertas adimitur eligendi*, tum quia ſic expreſsè decernitur in Concilio Conſtantiēſi *ſeſſ.* 29. ibi, *Quòd ſi fortè electionem Romani Pontificis per metum factam, qui cadat in conſtantem virum, ſeu impreſſionem de cætero fieri contingat, ipſam decernimus nullius efficaciæ, vel momenti, nec poſſe per ſequentem conſenſum, etiam metu prædicto ceſſante ratificari, & approbari*; ita Alban. *quæſt.* 16. Azorius 1. *part. lib.* 1. *cap.* 11. *quæſito* 11. *&* 1. *part. lib.* 4. *cap.* 2. *quæſito* 6. Nauarrus *in ſumma cap.* 17. *num.* 29. *& cap.* 22. *num.* 51. Rodriquez *quæſtionum regularium tom.* 2. *quæſt.* 51. *art.* 10. Baldus *in cap. quiſquis de elect.* Tuſchus *tomo* 2. *concl.* 62. Gondislaus Villadiego *de*

*Card.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Card.quæſt.5. num.26.* Martinus Laudenſis *de Cardin.tract.2.quæſt.96.* Manfredus *deciſ.264. 278.& 322.* Iacobatius *de Concilio lib.4. art.4. num.79. & num.224.* vbi hanc propoſitionem pluribus probat, Miranda *tom.2.quæſt.23.art.1.* & alij contra nonnullos Doctores apud Iacobatium. Quis autem dicatur metus grauis ab homine incuſſus, conſtat ex dictis *de matrimonio, de voto, & de cenſuris*, quæ hic opus non eſt repetere, cùm ibi facilè conſuli, & videri poſſint. Hæc conditio, ſeu propoſitio limitatur à Soprano *lib.4.cap.7. verſ. Ex parte eligentium*, modò de hoc metu conſtet omnibus Cardinalibus, alioquin liberum cuíque eſſet electionem impugnare confingendo ſibi metum incuſſum fuiſſe ad electionem talis perſonæ.

2 Sed hæc limitatio in foro cõſcientiæ mihi non probatur, nec habenda eſt fides Cardinalibus aſſerentibus ſe per metum elegiſſe, niſi antea proteſtati eſſent, ſe per metum eligere, ex Baldo *in cap. vbi periculum, de elect.* Imò in Concilio Conſtantienſi prohibetur Cardinalibus, poſt factam per metum electionem alium eligere, donec per Concilium Generale iudicatum fuerit de electione, aut donec electus per metum renunciet, vel moriatur; alioquin electio irrita eſt, & tam eligentes, quàm electus priuationem ſtatus, & dignitatis Car-

dinala

dinalatus,& Pontificalis ipſo facto incurrunt, & inhabiles ad eoſdem eligendos,ac etiam ad Papatum efficiuntur. Ratio verò cur præfata limitatio mihi diſpliceat, eſt; quia natura, & ratio electionis poſtulare videtur, vt voluntariè & liberè fiat; ergo electio in foro conſcientiæ vitiatur, etiamſi metus notus non ſit aliis Cardinalibus;natura enim electionis non mutatur ob aliorum notitiam, vel ignorantiam.

3 Ex dictis ſequitur primò, electionem factam per metum leuem, validam eſſe; tum quia hic non eſt metus grauis; tum quia metus leuis libertati, & voluntati non valdè aduerſatur,ob id neque in Iure haberi ſolet ratio metus leuis; tum quia præſumendum non eſt viros prudentes,& conſtantes leui metu concuti; metus enim leuis in virum conſtantem non cadit; tum quia à ratione alienum eſt, vt Summi Pontificis electio tam leui de cauſa infirmetur, & reſcindatur, ita Paulus Corteſius *lib.3. de elect. Papæ. col. 5. verſ. Nec*; item Albanus *quæſt. 16. verſ. Qualis autem*, contra Gondislaum *loco citato*,Iacobatium *lib.4. art.4. num.133.* & alios.

4 Secundò ſequitur metum quo Cardinales in genere compelluntur ad electionem Pontificis faciendam,non vitiare electionem,

quia

quia hic metus non incutitur ad eligendam certam perſonam, ſed in genere ad electionem, cum quo metu adhuc ſtat libertas electionis; libertas enim electionis non in hoc poſita eſt, vt poſſit eligere, vel non eligere; ſed vt vnum è pluribus voluntariè, & liberè eligat, & poſſit non eligere quem eligit, quæ vocari poteſt libertas ſpecificationis, & exercitij; ita Hieronymus Manfredus *de Cardinal. deciſ.* 311. Iacobatius *lib. 4. art. 4. num.* 143. & alij.

5 Tertiò ſequitur grauem metum incuſſum ad eligendum aliquem certi generis, & nationis, exempli gratia, Italum, vel Hiſpanum, non irritam reddere electionem, quia per huiuſmodi metum reſtringitur quidem, ſed non tollitur libertas electionis, cùm vnus è pluribus voluntariè eligatur, ita Abbas Siculus, apud Iacobatium *lib. 4. art. 4. num.* 140. Nauarr. *conſil. 7. de conſtit. lib.* 1. Miranda *in manuali Prælat. 2. part. quæſt.* 23. *art.* 22. Rodriquez *tom. 2. quæſt.* 51. *art.* 11. & Azor. 1. *part. lib.* 1. *cap.* 11. *quæſito* 11. contra Gondislaum *loco citato num.* 29. Iacobat. *loco citato num.* 140. Manfredum *deciſ.* 392. & alios, idem à fortiori ſentientes, dum metus incuſſus fuit ad vnum è duobus tantum eligendum.

6 Quartò ſequitur metum incuſſum ad excludendas perſonas certi generis, aut certam aliquam

aliquam perſonam non obeſſe valori electionis, quia cum huiuſmodi metu ſubſiſtit ratio liberæ electionis, quæ in hoc poſita eſt, vt vnus è pluribus voluntariè capiatur, ita Panormit. *in cap.licet,de elect.* Iacobatius *lib.4.de Concilio art.4.num.143.& ſeqq.* Innocentius, & alij apud Sopranum *lib.4.de elect.cap.5.quæſt.2.* & apud Cardinalem Iacobatium *de Concilio lib.4.art.4.num.144.*

7 Quintò ſequitur electionem à Cardinalibus factam metu aëris in Conclaui inficiendi, validam eſſe, tum quia non eſt metus ab homine incuſſus; tum quia hic metus non tollit libertatem, quin vnus potiùs quàm alius eligatur.

8 Sextò validam eſſe electionem factam Deo miraculosè grauiſſima mala minitante, niſi Cardinales eligerint, quem Deus ipſe deſignauit, hic enim metus non eſt ab homine, ſed à Deo; nec iniuſtè, ſed iuſtè incutitur, & quæ à Deo extraordinario modo fiunt, ordinariis legibus non ſubiiciuntur.

9 Septimò validam eſſe electionem factam à Cardinalibus eo quod audierint Turcas prope vrbis mœnia adeſſe, animo deuaſtandi, depopulandi, rapiendi, &c. Ratio eſt, quia electio iſtius perſonæ non eſt facta ob metum incuſſum, ad hanc perſonam eligendam, qui

vocatur

vocatur metus *ad hoc*, ſed ob metum ad alium finem incuſſum, qui dicitur metus *non ad hoc*, vt in ſimili patet ex dictis de matrimonio, & de voto metu celebrato, & emiſſo, conſequenter huiuſmodi metus non tollit libertatem actus.

10 Obiicies contra dicta in propoſitione, & illationibus, electio Vrbani VI. valida fuit, etiamſi facta fuerit per metum à populo Cardinalibus incuſſum, teſte Alphonſo Ciaconio, ex quo deinde originem traxit magnum illud ſchiſma quod ab anno 1378. vſque ad annum 1429. perdurauit.

Reſpondeo electionem Vrbani VI. validam fuiſſe, tum quia celebrata non fuit per metum grauem, teſte Onuphrio Panuino; tum quia etiamſi metus à populo incuſſus fuerit; non tamen incuſſus fuit ad hanc perſonam eligendam; tum quia etiamſi admitterem metum illatum fuiſſe ad hanc perſonam eligendam: nihilominus electio poſtea ratificata fuit, nouo conſenſu; Cardinales enim in illum poſtea conſenſerunt, & tanquam verum Pontificem toti orbi propoſuerunt; nec tunc editum fuerat decretum Concilij Conſtantienſis, ita Azorius *loco citato*. Iacobatius *lib.* 4. *art.* 4. *num.* 138. Sopranus *lib.* 4. *cap.* 5. *quæſt.* 3. & alij contra Ægidium Cardinalem

nalem *conſil.* 97. *&* 99. ac alios apud Iacobatium *loco citato.*

## PVNCTVM III.

### De quatuor aliis conditionibus requiſitis ex parte eligentium, quarum prima eſt, vt elector non eligat ſeipſum: ſecunda vt eidem non ſuffragetur in ſcrutinio, & in acceſſu: tertia, vt dignum eligat: quarta, vt alia à iure ſibi præſcripta obſeruet.

*SVMMARIVM.*

1 *Elector ſe ipſum eligere non poteſt.*

2 *Elector qui ſuffragium vni in ſcrutinio dedit, non poteſt eidem in acceſſu ſuffragari.*

3 *Electores debent idoneum eligere.*

4 *Electores poſſunt cæteris paribus eum præferre, quem ſibi magis propitium ſperant.*

5 *Cardinalis qui ſuffragium digno confert relicto digniori, quem ipſe eligi vellet, aliis eum reſpuentibus, à mortali excuſatur.*

6 *Cardinalis tribuens votum manifeſtè indigno, non vt eligatur, ſed vt votum inane reddatur, per ſe loquendo grauiter peccat.*

7 *Electores ſeruare debent ea quæ ſibi præſcripta ſunt.*

## PRIMA PROPOSITIO.

1 ELector ſe ipſum eligere non poteſt, alioquin electio irrita eſt ex Gregoriana conſtitutione, *ſi ſuffragium proprium compleat numerum requiſitum ad electionem* : de hac conditione plura infrà, dum agam de requiſitis ex parte formæ, ſeu de electione per ſcrutinium, *quæſt.5.condit.4.*

## SECVNDA PROPOSITIO.

2 ELector non poteſt in acceſſu illi ſuffragium ferre cui ſuffragatus eſt in ſcrutinio, alioquin ſuffragium acceſſus irritum eſt, ſicut etiam irritum eſt, dum inter ſchedulas ſcrutinij, nulla reperitur ſchedula notata eo ſigno quo notata eſt ſchedula acceſſus, vt patet *ex Bulla Gregorij XV. in §. At ſi.*

## TERTIA PROPOSITIO.

3 ELectores debent idoneum eligere (quanquam hac conditione deficiente irrita non eſt electio, niſi ſimul adſit defectus

fectus ſubſtantialis.) Ratio eſt, quia Cardinales conſtituuntur, vt loco vniuerſitatis idoneum Eccleſiæ Paſtorem eligant; ergo contrà proprium officium delinquunt, eum eligendo qui tanto muneri aptus, & idoneus non eſt. Idoneus autem is dicitur, qui debita ſcientia, peritia, fama, vitæ integritate, viribus, ætate, & legitimis natalibus gaudet, ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 2. Sotus 3. *de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 2. *concl.* 9. Miranda *in manuali tom.* 2. *quæſt.* 23. *art.* 13. & alij communiter.

4 Exiſtimo tamen cæteris paribus liberum eſſe Electoribus eligere quem velint ex duobus æquè idoneis. Ratio eſt, tum quia in hoc etiam libertas electionis poſita eſt; tum quia nulli faciunt iniuriam, cùm dignum eligant, nec duos eligere poſſint.

Amplia, etiamſi Electores id faciant, vt propriis commodis conſulant, nam in diiudicanda perſonæ eligendæ habilitate, rationem quidem habere non debent priuati commodi, ſed publicæ vtilitatis; lato tamen iudicio de alicuius habilitate, & aptitudine, iuxta communem, & publicam vtilitatem, vetitum non videtur cæteris paribus ex duobus æquè dignis eum eligere, quem Electores ſibi magis propitium ſperant. Ratio eſt, tum quia Gregorius XV. in ſua conſtitutione non prohi-

buit rationem ſui commodi ſecundariò haberi, ſed vetuit carnem, ſanguinem, & humanam ſapientiam, quæ ſtultitia eſt apud Deum, dominari, hæc autem dominantur, dum in electione ratio præcipuè non habetur publicæ vtilitatis, ſed priuati commodi; tum quia nullus vnquam carnem propriam odio habuit; tum quia ex ordinata charitate, quilibet poteſt ſe ipſum cæteris paribus præferre, in hoc autem caſu cætera paria ſunt, cùm ambo æquè digni ſint, vt ſuppono; ergo.

5 Maior difficultas eſt primò, vtrum à mortali excuſetur Cardinalis, qui ſuffragium confert digno, relicto digniori, quem ipſe eligi vellet; ſed alij eum reſpuunt, & ſuffragium ei conferre nolunt.

Reſpondeo excuſari poſſe, tum quia per ipſum non ſtat ne dignior eligatur; tum quia acquieſcere poteſt aliorum conſcientiæ exiſtimantium alium digniorem, & hoc præſertim valet, ſi animaduertat abſque ſuo voto, & ſuffragio compleri numerum ad electionem requiſitum, vel id faciat ad præcauendas amicorum diſſenſiones, odia, & perſecutiones; quanquam huiuſmodi periculum hoc tempore imminere non ſolet, cùm ſuffragia per ſcrutinium & acceſſum occultè ferantur, ita ſentire videtur Albanus *de Cardinalibus q.* 10.

&

& Azorius 2. *parte lib.* 4. *cap.* 3. *quæſito* 17. dum in ſimili quærunt, an Cardinalis tuta conſcientia tacere poſſit, dum aliquid in conſiſtorio contra vtilitatem, & decus Eccleſiæ proponitur.

6 Secundò difficultas eſt, vtrum grauiter peccet Cardinalis, qui votum & ſuffragium manifeſtè indigno tribuit, non vt eligatur, ſed vt votum inane reddatur, aut alia de cauſa.

Reſpondeo, grauiter peccare per ſe loquendo. Ratio eſt, tum quia facit contra proprium officium, votum indigno tribuendo; tum quia iniuriam dignioribus irrogat, tum quia Summi Pontificis electio hoc pacto diutius differtur, & prorogatur cum notabili Eccleſiæ damno, ſeu periculo. Dixi per ſe loquendo, quia per accidens fieri poteſt, vt excuſetur, ſi videlicet votum indigno iuſta de cauſa tribuat, ſciens fore vt ipſe indignus non promoueatur, ſed dignior iniecta mora eligatur. Ratio eſt, tum quia tunc non dicitur eligere indignum, cùm certò ipſi conſtet votum indigno non profuturum, vt ſuppono; tum quia iniuriam digniori non facit, cùm moras nectat, vt dignior eligatur, eique meliùs conſulatur.

## QVARTA PROPOSITIO.

7 ELectores obſeruare debent ea, quæ ſibi à Summis Pontificibus præcepta ſunt, & ab iis abſtinere debent, quæ ipſis interdicta fuerunt, vt ex ſe patet; quanquam hæc vitiare non ſolent electionem, iuxta dicenda in Quæſtionibus, & Punctis proximè ſequentibus.

# QVÆSTIO II.

## *De requiſitis ex parte Electi ad validam Summi Pontificis electionem.*

### SVMMARIVM.

1 *Eligendus in Papam debet eſſe maſculus, & non fœmina.*
2 *Fœmina nulla fuit vnquam in Papam electa.*
3 *Acta huiuſmodi fœminæ irrita eſſent.*
4 *Vir coniugatus validè eligi poteſt.*
5 *Eligendus in Papam rationis vſum habere debet.*
6 *Pontifex cuiuſnam ætatis eſſe debeat dum ad*

*Pontifi*

*Pontificatum promouetur.*

7 *Quid faciendum ſi eligatur aliquis qui poſtea rationis vſum amittat.*

8 *Eligenda eſt perſona certa.*

9 *Pontifex conſentire debet in electionem alioquin electio inualida eſt.*

10 *Cardinales facta iam vnius electione recedere non poſſunt ab electione.*

11 *Cardinales an Eccleſiam gubernare poſsint donec electus conſenſum præſtet.*

12 *Cardinales an facultatem aliquam habeant in electum qui electionem nondum acceptauit.*

13 *Eligendus in Papam debet eſſe baptizatus.*

14 *Eligendus in Papam debet eſſe Chriſti fidelis non Hæreticus.*

15 *Eligendus in Papam vitio ſimoniæ in electione carere debet, alioquin non ſolum tunc inualidè eligitur, verum etiam inhabilis efficitur qui in futurum eligatur.*

## VNICA PROPOSITIO.

SEx conditiones ex parte perſonæ eligendæ neceſſariæ ſunt ad validam electionem.

1 Prima eſt, vt maſculus ſit, & non fœmina. Ratio eſt, tum quia, non decet fœminam omnibus tam Eccleſiaſticis, quàm

Laicis præferre, tum quia fœmina incapax eſt clauium præſertim Ordinis, *cap. in nouo, de pœnit. & remiſſ.* tum quia nuſquam legitur, Chriſtum alios miniſtros inſtituiſſe, præter viros, vt docui *de Sacramentis diſp.* 8. *quæſt. vnica, puncto* 5. *num.* 5. *& de cenſuris quæſt.* 1. *puncto* 2. cum S. Thoma, Vazquez, & aliis, quibus adde Azorium *in terminis* 2. *part. lib.* 4. *cap.* 5. *quæſ.* 7. *verſ. Quæres inſuper*, & Iacobatium *de Concilio lib.* 4. *art.* 4. *num.* 112.

Obiicies primò, olim in Eccleſia fuerunt Diaconiſſæ, & Presbyteriſſæ 27. *quæſt.* 1. & *can. mulieres diſt.* 37. ergo mulieres ad Ordines promoueri, aliíſque fidelibus in Eccleſia præfici poſſunt.

Reſpondeo primò huiuſmodi fœminas, eo nomine vocatas fuiſſe, eo quod eſſent Diaconorum vxores. Secundò, huiuſmodi fœminas ſacris Ordinibus initiatas non fuiſſe, ſed curæ quarumdam rerum Eccleſiæ deputatas fuiſſe, vt docui *de Sacramentis loco citato*, cum Valentia, Henriquez, Conincho, Vaſquez, & aliis.

2 Obiicies ſecundò, nonnulli Hiſtoriographi ferunt quandam Ioannam ad Papatum euectam fuiſſe; ergo ſexus maſculinus non eſt conditio ad Papatum neceſſaria; hæc conſequentia patet, quia ad probandam potentiam

tiam ad aliquem actum, maximè valet actus.

Antecedens verò quòd videlicet fœmina in Papam electa fuerit. Probatur primò, ex ipſiſmet Hiſtoricis Mariano, Scoto, Sigiberto Polono, Platina,& aliis aſſerentibus hanc fœminam, cum ab Amaſio Athenas ducta fuiſſet, ibíque tam in ſacris, quàm in profanis litteris mirificè profeciſſet, indéque Romam rediens litterariæ Palæſtræ præfuiſſet,ad Pontificiam dignitatem aſſumptam fuiſſe, & cum ſolemnem corporis Chriſti proceſſionem comitaretur, vel potius ipſa Chriſti corpus deferret, filium in via propè amphiteatrum, & D.Clementis ædem, peperiſſe.

Secundò, quia fama publica conſtabat,inquit Polonus, hanc Ioannam fœminam fuiſſe, imò Platina hac de re loquens,ſic ait;hæc quæ dixi, vulgò feruntur.

Tertiò, quia aliàs in via, in qua hæc fœmina filium peperit, extabat huius rei ſtatua, & conſtructa fuerat capella, in qua tumulo recondita iacebat.

Quartò, quia Pontifices in deteſtationem tam ſceleſtæ fœminæ ea via in qua præfata fœmina peperit, non progrediuntur, imò ſedem confici curarunt, vt electus de recenti in Papam explorari valeat cuius ſit ſexus.

Reſpondeo primò, quicquid ſit de antece-

denti quod falſum eſſe oſtendam in ſecunda reſponſione, neganda eſt conſequentia: nam ipſimet Hiſtorici concedunt, hoc eſſe portentum, & monſtrum, conſequenter non permittendum, quamuis Hæretici Anglicani fœminam Anglicanæ Eccleſiæ præfecerint, & tanquam caput, & ſuperiorem non ſolum in temporalibus, verum etiam in ſpiritualibus agnouerint, errorem ſuum tegentes Papiſſæ exemplo, quod fabuloſum, commentitium, & mendaciis plenum eſſe perſpicuè conſtabit ex dicendis in ſecunda reſponſione.

Reſpondeo ſecundò antecedens, nempe Ioannam ad Papatum promotam fuiſſe, alieniſſimum eſt à veritate, nullóque appareti, ne dicam ſolido, nititur fundamento. Ratio eſt primò, quia nullus antiquarum rerum ſcriptor ſpatio quingentorum annorum vllam de hac re mentionem fecit: nam Hæretici huius fabulæ fabricatores electionem iſtius fœminæ contigiſſe putant, anno 855. vel vt alij, anno 848. alij alio tempore, Primus huius rei Scriptor fuit Polonus, qui poſt quingentos annos extitit. Neque obſtat teſtimonium Mariani, Scoti, & Sigiberti, quia in primis ſuarum hiſtoriarum editionibus, teſtibus Onufrio *in Platinam*, & Genebrardo *lib.*4. id minimè habetur, ſed ſolum in aliquibus exemplaribus

in

in margine, variato charactere exprimitur, ex quo licet coniicere, id ab Hæreticis additum fuiſſe, vt hac ſaltem ratione fides fabulæ adhiberetur. Neque obſtat dicere Hiſtoricos illius temporis auſos non fuiſſe, hanc rem perſcribere, & omnibus notam facere prohibentibus id Pontificibus,

Reſpondetur enim Pontifices non prohibere, ne publicæ, & omnibus notæ hiſtoriæ commendentur; præterea fieri non poteſt, vt Pontifices id prohibuerint, cùm iuxta ipſoſmet aduerſarios quædam capella, & ſtatua, auctoritate Pontificum, in huius rei deteſtationem publicè conſtructa fuiſſet. Denique, ſi Pontifices id vetuerunt, quomodo, quo fundamento, & qua auctoritate Polonus auſus fuit, poſt quingentos annos hanc rem perſcribere, ſuíſque hiſtoriis cum nota mendacij commendare.

Secunda ratio eſt, quia huius fabulæ fabricatores, non conueniunt in nomine huius Papiſſæ, nam alij Agnetem, alij Iuttam, aut Dorotheam, alij Iſabellam, Margaritam alij, alij Gilbertam, alij alio nomine vocant; alij denique nomen ipſius ignorari affirmant; ſed omnes verius locuti fuiſſent, nullam vocando: in hoc etiam diſcordes ſunt, quòd vnus Ioannem ſeptimum, alius Ioannem octauum,

alius

alius Ioannem vigeſimumſecundum fuiſſe confingit, quos tamen conſtat fuiſſe legitimos Eccleſiæ Romanæ Pontifices; alij natione Germanam, alij Anglicanam dixerunt, alij putant eam ſediſſe vno anno, & menſe vno, alij ſediſſe duobus annis, & duobus menſibus, alij duobus annis cum dimidio.

Tertia ratio eſt, quia aduerſarij diſcrepant in aſſignando virum ex quo fœtum concepiſſe confingunt; alij ex Amaſio, à quo Athenas perducta fuerat; alij ignari, vel immemores originis, & inſtitutionis Collegij Cardinalium, à quodam Cardinali; alij à quodam famulo carnaliter cognitam fuiſſe teſtantur; rectius dixiſſent ſe hanc fabulam auctore Demone concepiſſe, vel ſomniaſſe.

Quarta ratio eſt, quia aduerſarij putant hanc fœminam ſucceſſiſſe Leoni IV. & 2. annis, & 5. menſibus, & 4. diebus vixiſſe; hoc autem falſiſſimum eſt, cùm Leonem ſubſecutus fuerit poſt ſex dies Benedictus tertius, vt ſeriem Pontificum, Cardinalium examinanti perſpicuè conſtabit, & teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius, qui tunc temporis Romæ præſens erat, Lupus Ferrarienſis Abbas, & alij apud Baronium *anno* 833.

Ad primam rationem allatam ad probandum antecedens, reſponſio patet, ex prima ratione

tione à me allata, nullus enim Hiſtoricus intra quingentos annos verbum vllum de hac re ſcripſit.

Ad ſecundam reſpondeo, probationem ex fama, & vociferatione infirmam eſſe, multa enim vulgò feruntur, quæ omnino à veritate aliena ſunt, iuxta illud, *Fallitur & fallit vulgi qui pendet ab ore*, nec valet dicere, vulgo ita fertur, ergo verum eſt, ſicuti non valet dicere, Caluiniſtæ communiter aiunt Papam eſſe Antichriſtum, aut monſtrum, ergo Papa verè eſt Antichriſtus vel monſtrum; quis non videt hæc eſſe abſurda Meridiana luce clariora? ob id Platina huius fabulæ falſitatem agnoſcens, in hæc verba loquitur, *hæc quæ dixi, vulgò feruntur, incertis tamen & obſcuris auctoribus, erremus etiam nos hac in re cum vulgo*, hæc Platina, qui ſcienter errare voluit ob prauum erga Pontifices affectum.

Ad tertiam reſpondeo, nullam huius rei ſtatuam, vel capellam Romæ vnquam extitiſſe, vt benè probant Scherer, & alij Doctores ſtatim citandi.

Ad quartã reſpondeo, Pontifices per quamlibet tranſire viam, quæ ſibi opportuna & commoda videatur, nulla penitus iſtius rei habita ratione; neque obſtat argumentum à ſede ſtercoraria deſumptum, aliàs enim Pontifex

tifex nuper electus tribus ſedibus inſidebat, prima erat ſtercoraria, quæ illi præbebatur, non vt pudenda inſpicerentur, ſed vt meminiſſet ſe non eſſe Deum, ſed hominem neceſſitatibus naturæ adhuc ſubiectum; vel vt memor eſſet prioris conditionis & ſtatus, iuxta illud 1. *Regum* 2. *ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat*; in ſecunda ſede, tradebantur virga, & claues Eccleſiæ Lateranenſis, vt inde coniiceret poteſtatem ſibi à Deo datam, ad continendos in officio fideles, & Eccleſiam regendam, cuſtodiendam, adminiſtrandam; in tertia Pontifex virgam, & claues reſtituebat, vt animaduerteret ſe Pontificiam dignitatem non perpetuò retenturum, ſed breui tempore adminiſtrationis ſuæ rationem redditurũ; vide Onuphrium Panuinum in Platinam, Baronium *anno* 853. Spondanum *eodem anno* 853. *n*. 5. *verſ. Hoc ipſo anno.* Bellarminum *lib*. 3. *de Pontifice cap*. 24. Georgium Scherer sereniſſimi Arnulphi concionatorem, & Florimundum Remundum, qui de hac re fuſiſſimè tractarunt.

Dices ſi fœmina per errorem eligeretur in Pontificem, eius acta eſſéntne valida?

3 Reſpondeo negatiuè contra Iaſonem *in l. Barbarius, num*. 64. *ff. de offic. Prætor.* Ratio eſt,

quia

quia fœmina iure Diuino incapax eſt dignitatis Pontificiæ, atque adeo caret iuriſdictione, neque Eccleſia poteſt hunc defectum ſupplere, quia ſupplere non poteſt defectui iuris Diuini, aut naturalis, vt cum communi Doctorum ſententia docui *de Matrimonio*, vbi oſtendi geſta per eum qui titulum habet coloratum cum errore communi valida eſſe, modò non adſit impedimentum iuris naturalis, vel Diuini; idémque in terminis docent, Alterius *de cenſuris tom.1. lib.2. diſput.2. cap.2.* Maſcard.*de probat.conſ.649.n.29.*Antonius Gabriel *lib.1.comm.concl.tit.de probat. concluſ.8.n.9.* Si vero aliquis vir ad Pontificatum inualidè euehatur cum aliquo vitio, iure ſolum humano irritante electionem,valida eſſent ipſius acta cum titulo putatiuo, & errore communi facta, quia Eccleſia tunc ei iuriſdictionem delegare,& ſupplere diceretur,quamuis enim Eccleſia non ſit ſupra Pontificem;eſſet tamen ſupra hunc qui non verus, ſed præſumptus Pontifex eſſet, vt benè Alterius *loco citato*, vbi tamen addit huiuſmodi præſumptum Pontificem, non poſſe infallibiliter definire res fidei, quia poteſtas definiendi infallibiliter res fidei ſoli vero Pontifici,& Generali Concilio ineſt.

Sed modò dubium eſt, vtrum vir coniugatus eligi validè poſſit.

4 Reſpõdeo affirmatiuè, quia electus à duabus Cardinalium partibus cenſetur validè electus, exceptis caſibus in iure expreſſis; hic autem caſus in iure exceptus non eſt: quamobrem ſi Summus Pontifex virum coniugatum ad Cardinalatus gradum promoueat, eúmque Cardinales, Sede vacante, ignorantes vinculo matrimonij obſtrictum, in Papam eligant, valida eſt electio, etiamſi cognito matrimonij vinculo non elegiſſent, nec eligere debuiſſent, ita Gondiſlaus Villadiego *de origine Cardinalium num.* 33. & alij quos ſequitur Iacob.*lib.*8.*art.*9.contra Paulum Corteſium *de Cardinal.lib.*3.*cap.*4.*verſ.Nec item.*

An autem Papa in tali euentu poſſit debitum petere, vel coniugi petenti reddere teneatur, conſtat ex regulis generalibus traditis de voto caſtitatis *in tractatu de legibus*, & *de matrimonio*, vbi docui Papam teneri debitum reddere, ſi vxor ad continentiam induci nequeat, nec ipſa iuri ſuo antea ceſſerit.

5 Secunda conditio eſt, vt eligendus rationis vſu polleat, ob id demens, & inſanus, ſeu furioſus, aut infans, qui plenè rationis vſu nondum vtitur, eligi non poteſt, ratio eſt, tum quia ſicut matrimonium validè celebrari non poteſt cum infante, vel inſano, tempore furoris, vel inſaniæ, ita neque validè eligi poteſt

teſt in Papam, qui rationis vſum non habet, cùm Papatus ſit veluti quoddam matrimonium, inter Papam, & Eccleſiam, vt Doctores in ſimili tradunt de illo cui beneficium confertur; tum quia is, cui Pontificatus confertur poteſtatem habet ligandi, & ſoluendi ſuper terram, iuxta illud *quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*; ſed is ligare aut ſoluere non poteſt in ſubiecta materia, qui rationis vſum nondum adeptus eſt: ergo Papatus ei conferri non poteſt, aut ſaltem non debet; tum quia is eligi debet qui conſentire poteſt, ſed infans aut demens conſentire non poteſt, niſi lucidis fruatur interuallis, conſenſus enim eſt actus liber, & voluntarius; ergo infans vel demens eligi non poteſt; tum quia ſicut inualida eſt electio illius qui diſſentit, aut conſentire electioni de ſe factæ renuit, ita etiam inualida eſt electio illius, qui conſentire non poteſt, ita Io. Azor. 2.*p.lib.*4.*cap.*6.*p.*7. *verſ. Quæres inſuper*, Sopranus, & alij.

Obiicies Epiſcopus, Princeps, Rex, vel etiam Imperator, iuxta nonnullorum ſententiam, eligi poteſt, etiamſi adhuc in puerili ætate exiſtat; ergo etiam Pontifex.

Reſpondeo primò, negando antecedens,

illi enim non eliguntur propriè loquendo, ſed ſolum deſignantur, aut Reges fiunt, non electione, ſed ſucceſſione, ſeu iure hæreditario. Idem dic de Epiſcopis, ipſi enim potius deſignantur, quàm eligantur.

Reſpondeo ſecundò, negando conſequentiam, quia etiamſi admittamus illos in puerili ætate eligi, negandum tamen eſt Papam in tali ætate eligi poſſe; ratio diſparitatis eſt, quia poſſunt adeſſe alij natu, vel etiam dignitate maiores, qui vices illorum in officio gerant, & illorum electionem acceptent; nullus verò eſt qui Papæ vices, ipſo non concedente, ſuſtinere valeat, aut ipſius electionem acceptare poſſit.

6 Rogabis primò, cuiuſnam ætatis eſſe debeat Papa dum eligitur. Reſpondeo æquum eſſe vt eligendus trigeſimum ſaltem annum compleuerit, ætatem enim triginta annorum in promouendo ad Epiſcopatum Ius Canonicum requirit *cap. cum in cunctis de electione:* quamquam nonnulli vt Ioannes XXII. & Bonifacius IX. ad Papatum aſſumpti fuerint, antequam præfatam ætatem nacti fuiſſent.

Addo cæteris paribus ſeniorem ſaltem ex honeſtate præferendum eſſe. Ratio eſt, quia ſenior ſicut alios ætate, ita etiam prudentia, regulariter loquendo, præcedere conſueuit, ita Sopran. *lib. 4. cap. 1. quæſt. 1. ad fin.*

7 Rogabis

7 Rogabis ſecundò quid faciendum, ſi eligatur aliquis ſui compos, & idoneus, qui poſtea rationis vſum amittat, & inhabilis ad Eccleſiæ gubernationem reddatur, aut ab hoſtibus capiatur, nec ipſius voluntas cognoſci poſſit.

Reſpondent Iacobatius *de Concil. lib. 4. art. 3. num. 52. & lib, 9. art. 1. num. 66.* & Manfredus *de Cardinal. deciſ.* 319. conuocandum eſſe Concilium, à quo adminiſtrator in Eccleſia eligatur.

Hoc tamen ego limitandum cenſeo, niſi aliquis antea conſtitutus, & deputatus fuiſſet ad negotia Eccleſiæ gerenda, hic enim priuilegium, & iuriſdictionem non amittit ob Pontificis morbum, vide Iacobatium *loco citato num. 40. & ſeqq.*

8 Tertia conditio eſt, vt perſona certá eligatur, cùm enim Elector non habeat ius eligendi plures, ſed vnum (plures enim Pontifices eodem tempore creari nequeunt, vt infra probabo) ferre non poteſt ſuffragium, quod pluribus accommodetur, aut quod incertum ſit cui conueniat: quamobrem ſi duo eiuſdem familiæ, & cognominis Cardinales in Conclaui exiſtant, & Elector vnum eorum eligat, nulla addita diſtinctionis nota, inualidè ex ſua parte eligit, quia ſufficienter non

conſtat quemnam eligere intendat. Idem valet ſi ſuffragium ferat corrupto nomine, addendo, vel detrahendo aliquam coniunctionem, aut vocalem, aut particulam propter quam ignoretur, cui nomen illud conueniat, ſecùs, ſi mutatio adeò leuis ſit, vt communiter ſciatur, quemnam Elector intenderit, nec ante peractam electionem aliud expreſſerit; ſicut enim diſpenſatio, aut etiam Sacramenta, irrita non efficiuntur ob quamlibet verborum mutationem, ita nec ob quamlibet nominis alterationem, ſubſtantiam electionis vitiari cenſeo; in dubio tamen, tutius erit ſchedulam aperire, & auctorem interrogare de ipſius intentione, ſic enim omne dubium è medio tolletur; an autem qui eligitur debeat eſſe ex Cardinalium Collegio, conſtabit ex dicendis, §.*proximè ſequenti ad finem, num.* 19.

9 Quarta conditio eſt, vt electus conſentiat. Ratio eſt, tum quia non poteſt quis moraliter incipere aliquid poſſidere ſine conſenſu; ergo vt quis Papatum, ſeu Pontificiam poteſtatem poſſidere incipiat, neceſſarius eſt ipſius conſenſus; tum quia electus per collationem Papatus plures contrahit obligationes, & quaſi ex contractu obligatur: obligatio autem ex contractu, vel quaſi contractu, non contrahitur abſque conſenſu, vt bene

Caietan.

Caietan. *in opuſculo primo de comparatione Pap. & Concil.cap.26.*

Nec tamen hinc ſequitur primò Papam ſe ipſum eligere, ſeu creare, ſeu Papatum ſibi coniungere,quia conſenſus in electionem non eſt electio, ſeu creatio, vel conſtitutio Papæ, ſed conditio requiſita ad completum electionis effectum,& Papæ conſtitutionem.

Secundò non ſequitur Sedem Apoſtolicam ſimpliciter vacare,dum facta eſt electio à Cardinalibus,& electus nondum conſenſum præſtitit, vt ſi electus ſit Cardinalis abſens (ſicut Adriano VI. in Hiſpaniis degenti contigit anno 1521.) quamuis enim electio effectum & ſuum completum nondum ſortita ſit, & Sedes Apoſtolica nondum impleta dicatur, quamdiu conſenſus electi non acceſſit, non tamen ob id Sedes Apoſtolica vacat, quia tunc Sedes vacare dicitur, cùm nulla ratione Pontificem habet; in noſtro autem caſu aliqua ratione Pontificem habet, cùm Pontifex iam electus ſit,& licèt nondum creatus ſit, tamen eſt quaſi conceptus,& in vtero, vt ita loquar, exiſtit.

Tertiò non ſequitur liberum eſſe Cardinalibus facta iam vnius electione, ab electione recedere, antequam electo conſenſum præſtet; quia Cardinales iam ex parte ſua elegerunt,

runt, & iam ſuo functi ſunt munere, & cùm miniſterialiter agant, non poſſunt limites ſibi præſcriptos excedere; poteſtas enim miniſterialis data ad aliquem actum, eo actu perfecto completur: ex quo patet Cardinales non poſſe tunc electionem mutare, etiamſi comperiant electum minus idoneum eſſe ob imperitiam, aut longè abeſſe, aut alio obſtrictum eſſe impedimento, quod electionem irritam non reddit, ſecus ſi impedimentum irritam reddat electionem; tunc enim Electores non dicuntur ſuo munere functi, cùm electio viribus careat, & perinde ſit, ac ſi facta non fuiſſet; vide Iacobatium *lib.4. de Concilio, art.3. num.*43. & Sopranum *lib.*1. *cap.*18. quamquam Sopranus ex parte diſſentit, putans Cardinales poſſe nouam electionem facere, dum Cardinales aduertunt electum fuiſſe qui longiùs abeſt, aut alium qui non niſi poſt longum tempus conſenſum præſtabit, & Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſtinebit, vt ſi electus ſit abſens quem Cardinales Neapoli eſſe arbitrabantur, ſed poſtea deprehendunt longam nauigationem ſuſcepiſſe, vel ita obſideri, vt facilis ad ipſum aditus non pateat, aut ſi electus ſit aliquis præſens, qui peracta electione in amentiam incidit, & ignoratur an ſui compos aliquando ſit futurus, & ſibi ipſi reddendus. Ra-

tio

tio Soprani eſt, quia Cardinales iubentur quamprimum electionẽ peragere, & Eccleſiæ de Paſtore prouidere, ſed per huiuſmodi electionem non prouidetur Eccleſiæ de Paſtore; ergo poſſunt, & debent electionem nouam inſtituere.

10 Ego verò probabilius arbitror, Cardinales in tali euentu non poſſe nouam electionem facere, tum quia functi ſunt ſuo munere; tum quia ex noua electione periculum imminet ſchiſmatis, à quo Eccleſia ſemper maximè abhorruit; tum quia licèt Cardinales teneantur citò Eccleſiæ prouidere, & electionem accelerare; nihilominus facta ſemel electione, liberum ipſis non eſt nouam electionem inſtituere, & electum iure ſuo priuare, conſequenter ipſorum culpæ aſcribendum eſt, quòd eum elegerint, qui citò nequeat Pontificatus onera ſuſtinere: hinc patet reſponſio ad rationem Soprani.

11 Rogabis ad quem pertineat Eccleſiam gubernare dum facta à Cardinalibus electione, nondum exploratus eſt conſenſus electi abſentis.

Reſpondeo ea quæ neceſſaria ſunt ad rectam adminiſtrationem expedienda eſſe à Cardinalibus, ſuo, & nominati Pontificis nomine; tum quia hoc conforme videtur be-

nignæ Summorum Pontificum intẽtioni;tum quia ita peractum fuit poſt electionem Adriani V I. donec de ipſius acceptatione, & conſenſu conſtaret, teſte Iacobatio *loco citato*;tum quia *in cap. vbi periculum, de electione*, facultas Cardinalibus data fúit faciendi Sede vacante, quæ ad electionem Papæ, & defenſionem Eccleſiæ, & ad occurrendum imminentibus periculis pertinent, ob id Panormit. *cap. his quæ de maiorit.& obedien.* & alij apud Manfredum *deciſ.9.de Cardinalibus*, apud Iacobatium *lib.3.* & apud Sopranum *cap.18.§.1.* exiſtimant Collegium Cardinalium poſſe Nuncium à Pontifice antea miſſum reuocare, ſi Eccleſiæ expedire iudicauerint, item poſſe, & debere Concilium conuocare, ſi hoc ad electionem neceſſarium duxerint, id enim non faciunt auctoritate propria, ſed auctoritate Sedis Apoſtolicæ, à qua huiuſmodi facultatem obtinuerunt:(Concilium enim ab alio auctoritatiuè conuocari non poteſt, quàm à Papa, vt pluribus Iacobatius *de Concilio lib. 3.*) ergo Cardinalibus incumbit Eccleſiæ gubernatio quoad neceſſaria, ſi Papa nondum electus eſt; ſi verò electus eſt,ſed nondum conſenſit, poſſunt id ſuo, & electi nomine præſtare: nam ipſorum ius quoad adminiſtrationem, ceſſat per acceptationem electionis ab electo factam,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctam, electus autem nondum acceptauit electionem, vt ſuppono.

12 Maior difficultas eſt vtrum Collegium Cardinalium aliquam facultatem habeat in ipſum electum, qui electionem nondum acceptauit. Reſpondendum mihi videtur cum Soprano *loco citato*, habere facultatem præcipiendi, vt electionem quamprimum acceptet, vel eam reſpuat, ſi acceptare nolit. Ratio eſt, quia totum Collegium Sede vacante poteſtatem habet in ſingulos Cardinales, ſaltem in iis, quæ ad electionem pertinent, *cap. vbi periculum citato*: ergo cogere poteſt electum, vt electionem acceptet, vel illam renuat, ſi acceptare nolit.

13 Quinta conditio eſt, vt eligendus ſit baptizatus, ſic colligitur, tum ex *cap. veniens de Presbyt. non baptiz.* tum quia character Ordinis neceſſariò ſupponit characterem baptiſmi, vt docui *de Sacramentis*; tum quia iuri naturæ aduerſatur, vt is rebus omnibus ſacris præficiatur, qui ne ſacra quidem attingere poteſt.

Obiicies Ambroſius ad Epiſcopatum electus fuit, antequam ſacri Fontis lauacro imbutus fuiſſet; ergò poteſt etiam quis ad Papatum eligi ante Baptiſmum. Reſpondeo primò negando conſequentiam. Ad exemplum ſancti Ambroſij Reſpon. id factum fuiſſe mi-

raculoſè, & extraordinario Spiritus ſancti impulſu, ſeu de poteſtate Dei abſoluta; quæ autem de poteſtate Dei extraordinaria, & abſoluta fiunt, in exemplum trahenda non ſunt, in iis quæ conſueto curſu, & vſu fiunt, vide Caiet. *opuſculo* 1.*de comparatione Papatus, & Concilij cap.*26.

14 Sexta conditio eſt, vt non ſit hæreticus, ſed Chriſti fidelis. Ratio eſt, tum quia non poteſt quis eſſe caput illius cuius nec membrum eſt, nec poteſt eſſe caput totius, qui eſt extra totum, *cap. in totum, de reg. iur. in* 6. & Chriſtus ſtatuit, vt nullus ſit caput Eccleſiæ Chriſtianæ, niſi ſit membrum Chriſti, & *qui Eccleſiam non audit*, debet eſſe *tanquam Ethnicus & Publicanus*; tum quia ſic colligitur ex conſtitutione Iulij II. *in Concilio Lateranenſi, ſeſſ.*5. incipit, *cum tam diuino*, quanquam ibi ſermo præcipuè eſt de hæreſi ſimoniaca; ita Panormit. Francus, & alij *in cap. licèt de elect.* Azor.*lib.*4.*cap.*5. *quæſito* 7.*& cap.*7.*quæſito* 1. & alij contra Innocentium & Adrian. *in cap.licet citato.*

An autem Papa legitimè electus, poſſit in hæreſim incidere, & ob hæreſim Papatu priuari, conſtat ex dictis *in Bulla Cœnæ diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *num.* 12. *& ſequentibus*, quidquid Ioan. Azor. 2.*part. lib.*4. *cap.*7. *quæſ.*1. *&*

*ſequenti*

*ſequentibus*;& multi alij in oppoſitum ſentiant, exiſtimantes Papam Hæreticum, vel Hæreticorum fautorem, defenſorem, vel receptatorem, Pontificatu priuari poſſe.

15 Sexta conditio eſt, vt ſimoniam in electione non commiſerit, nam qui ſimoniam in electione ad Papatum commiſit, non ſolum tunc inualidè eligitur, verum etiam inhabilis efficitur qui in futurum eligatur, ex Iulio II. *in Bulla*, quæ incipit, *cùm tam diuino*; verum vt iſta conditio clariùs intelligatur, ſit

---

## §. VNICVS.

### Vtrùm electio Summi Pontificis facta per ſimoniam, valida ſit.

*SVMMARIVM.*

1 *Electio Summi Pontificis facta per ſimoniam, inualida eſt.*

2 *Electio Papæ an inualida ſit, dum Cardinalis gratiam ſuam, vel operam promittit alteri, vt ſe in Papam eligat.*

3 *Electio precibus facta, valida eſt.*

4 *Electio valida eſt, dum eligendus aliquid alteri tradit, vt eum ab iniuſta impugnatione reuocet.*

5 *Electio*

5 Electio valida eſt, dum Cardinalis in Papam eligendus, promittit ſe facturum aliquid in vtilitatem totius Eccleſiæ.

6 Electio valida eſt, dum eligendus promittit ſe facturum aliquid in gratiam Conclauiſtarum, ſeu aliorum qui ad electionem non concurrunt.

7 Simonia mentalis non vitiat electionem.

8 Simonia vt electionem vitiet, debet influere in electionem.

9 Electio an valida ſit, dum facta fuit, non ſolùm ab eo cum quo ſimonia commiſſa fuerat, verum etiam ab aliis conferentibus ſuffragia ſufficientia ad electionem.

10 Simonia electionem non vitiat, niſi conſentiente, vel ſaltem conſcio ipſomet electo.

11 Electus in Papam quomodo ſe gerere debeat dum animaduertit in ſua electione ſimoniam factam fuiſſe.

12 Simonia non irritat electionem niſi commiſſa fuerit ab ipſo electo, vel ab aliquo ex Electoribus.

13 Simonia non vitiat electionem, dum tradita fuit res leuis, & non magni momenti.

14 Simonia vitiat electionem, etiamſi notoria non ſit.

15 Simonia notoria quandónam dicatur.

16 Suffra

16 *Suffragia an aperienda ſint, dum alicui Cardinali ſimoniæ crimen circa electionem opponitur.*

17 *Cardinalis an incurrat pœnas conſtitutionis Iulianæ, ſi commiſſa ſimonia, vt in Papam eligeretur, nominatus quidem fuit, ſed non electus defectu nonnullorum ſuffragiorum.*

18 *Electio Papæ irrita non eſt ob aliqua crimina, excepta hæreſi, & ſimonia in electione.*

19 *Eligendus in Papam an debeat ex numero Cardinalium eſſe.*

## VNICA PROPOSITIO.

1 ELectio Summi Pontificis facta per ſimoniam irrita eſt, & inualida quia expreſsè irritatur à Iulio II. *in Bulla*, quæ incipit, *cùm tam diuino*, vbi irritatur electio ſimoniacè facta, dando, promittendo, recipiendo pecunias, bona cuiuſcunque generis, officia, beneficia, &c. per ſe, vel per alium, & tam pro ſe, quàm pro alio, vt patebit ex dicendis *diſp.2.quæſt.6.* vbi conſtitutionem Iulij II. ex profeſſo explicabo.

Hinc ſequitur primò electionem factam pecunia, muneribus, promiſſione officij, vel beneficij, & ſimilium inualidum eſſe, quia iſta electio ſimoniaca eſt, ita Albanus *quæſt.*25. & alij communiter.

2 Secun

2 Secundò ſequitur probabiliùs dici poſſe, inualidam eſſe electionem dum Cardinalis amicitiam ſuam, gratiam perpetuam, vel operam, non quidem ex vrbanitate, ſed ex obligatione ciuili pollicetur, ſi votum tradiderit ſibi, vel alteri, quem in Papam eligi cupit, hæc enim electio ſimoniaca eſt, cùm fiat præuia promiſſione alicuius boni, vel obligationis pretio æſtimabilis: contrarium valde probabiliter docent Gambara *in expoſitione huius Bullæ, num.*133. Sopranus *in manuſcriptis de electione Papæ, lib.*4.*cap.*2.*quæſt.*15. & alij aſſerentes ſimonia præfata non vitiari electionem, quia illo nomine *bona cuiuſcunque generis*, inquiunt ipſi, intelligitur id quod poſſidetur, & quod poteſt fieri accipientis; & nomine obligationis intelligitur obligatio ad præfata bona, quæ videlicet poſſidentur, & cùm verſemur in materia pœnali, non eſt facienda extenſio, ſed reſtrictio.

3 Tertiò ſequitur, electionem precibus, ſuaſionibus, & hortationibus factam, irritam non eſſe, quia hæc ſimoniacam electionem non efficiunt, alioquin precibus impetrans beneficium à Papa vel ab alio, ſimoniam committeret, & obtinens aliquid à Deo præuia oratione, labem ſimoniæ incurreret.

Dices ſimonia committitur non ſolum

munere

munere à manu, & ab obſequio, verum etiam à lingua: preces autem ſunt munus à lingua. Reſpondeo, negando preces eſſe munus à lingua; cùm is cui preces funduntur nihil ob id recipiat, vel recepturus ſit, ſicut accipit is, cui laus, vel linguæ officium apud alium promittitur; preces igitur præciſè ſumptæ ſimoniæ crimen non pariunt, niſi fortè precibus adiungantur pollicitationes, ſeu promiſſiones pecuniæ, vel alterius boni temporalis, iuxta dicta *illatione præcedenti,* & *in tractatu de ſimonia.*

4 Quartò ſequitur electionem validam eſſe, dum Cardinalis permittit, vel tradit aliquid non ad impetrandum ſuffragium, ſed eo ſolum fine, vt ab impugnatione retrahat eum, qui ipſius electionem iniuſtè impedit, vel impugnat. Ratio eſt, quia electio non eſt ſimoniaca, cùm nihil tradatur ad obtinendam electionem, ſed ad redimendam iniuſtam vexationem; quilibet enim ius ſuum tueri poteſt, ita communiter Doctores in genere loquentes; quamobrem ſi eligendus, Principi ſuam electionem iniuſtè oppugnanti, dicat ſe futurum illius amicum, ſeu patrem, & iudicem, omnibus fidelibus ęquum, & propitium, ſimoniam non committit; ſecùs dicendum eſt, ſi tradat aliquid ad impediendum iuſtam impugnationem, & oppoſitionem, vel ad auertendam

dam iniuſtam impugnationem, & ſimul etiam ad impetrandum ſuffragium, hæc enim electio ſimoniaca eſt, cùm pretio impetretur; quamobrem ſi quis Principi, vel Cardinali ſibi infenſo dicat, ſe, cùm in Papam electus fuerit, talia & talia in ipſius gratiam præſtiturum ſimoniam committit, quia promiſſionibus non ſolum auertit iniuſtam vexationem, verum etiam vota, & ſuffragia aucupatur, id tamen intelligi ab aliquo poſſet iuxta dicta *num.2.* vide quæ in ſimili tradidi *in meo tractatu de ſimonia.*

5 Quintò electionem validam eſſe, dum Cardinalis eligendus in Papam, promittit aliis Cardinalibus ſe facturum aliquid in vtilitatem totius Eccleſiæ, ſeu id, ad quod Papa tenetur ex officio, hæc enim electio ſimoniaca non eſt, cùm ſolum exigatur id, quod officio, ſeu dignitati, ad quam eligitur adnexum eſt, ſeu quod vtilitatem reſpicit totius Eccleſiæ, cui Papa maximè conſulere debet, alioquin etiam ſimonia committeretur, dum is cui Canonicatus confertur, iurat ſe præſtiturum ea, quæ ad ſuum pertinent officium, ita communiter Doctores in genere loquentes, in ſpecie verò Andr. Barbat. *tom.* 1. *conſ.* 1. Sopranus *lib.* 4. *cap.* 2. *loco citato quæſt.* 21. *caſu* 1. & Gambara *in expoſitione Bullæ Iulij II. n.* 130. *& ſequentibus.*

6 Sextò

6 Sextò validam eſſe electionem, dum Cardinalis promittit ſe aliquid in gratiam Conclauiſtarum, aut aliorum facturum, ſi ad Papatum aſſumptus fuerit; nam iſta electio non dicitur facta per ſimoniam, cùm promiſſio facta non fuerit in gratiam eligentium, nec ſit cauſa electionis, vt conſtabit ex infrà dicendis *limitatione* 2.

Septimò inualidam eſſe electionem, dum Cardinales inter ſe conueniunt, vt qui in Papam electus fuerit ſua beneficia, & officia, aut alia tunc temporis vacantia conferat iis, qui ſuæ electioni cooperati fuerint; nam huiuſmodi electio ſimoniaca eſt, vtpote facta præuia conuentione, ſeu promiſſione beneficiorum, aut aliorum bonorum. Nonnulli tamen Doctores oppoſitum ſentiunt, innixi ratione, quam in proximè ſequenti obiectione afferam.

Obiicies, illa conuentio non habet rationem pactionis, ſeu quaſi contractus, ſed quaſi legis; ergo electio vi illius facta, ſimoniaca non eſt. Reſpondeo illam conuentionem vim legis habere non poſſe, tum quia Cardinales nequeunt huiuſmodi leges condere Sede vacante, *cap. vbi periculum, de electione*; tum quia, ſi vim legis haberet, non afficeret electum in Papam, cùm Papa nullum in terris

G ſuperio

ſuperiorem habeat, Papa enim aſſecutione Papatus, à legum humanarum iugo eximitur; ergo illa conuentio vim, & naturam conuentionis retinet, aut ſaltem ſuſpicione labis ſimoniacæ non caret, obſeruant tamen Sopranus *loco citato quæſt.* 21. *caſu* 2. & alij, conuentionem qua Cardinales conueniunt, vt qui in Papam electus fuerit, inter Cardinales præſentes ſua beneficia, & officia diſtribuat, ſimoniacam quidem eſſe, ſi ob id aliquis Cardinalium moueatur ad eligendum ditiorem, vt plura beneficia vacent, & plus ſibi obueniat, nihilominus hanc electionem irritam non eſſe, quia huiuſmodi ſimonia non eſt notoria, cùm non conſtet an aliquis hoc fine ditiorem elegerit, ſicut neque conſtat, vtrùm ditior ex Cardinalibus eam conuentionem fecerit, eo affectu, vt ipſe præ cæteris eligeretur. Verum quid ego hac in re ſentiam, conſtabit ex dicendis *num.* 14.

7 Limitantur, & intelliguntur, quæ diximus in præfata propoſitione. Primo, modò ſimonia non ſit tantummodo intentionalis, ſeu mentalis; nam actus merè internus ſub legem humanam non cadit, vt docui *de legibus*, ſufficit tamen ſimonia realis ex parte dignitatis re ipſa obtentæ per ſimoniam, etiamſi res promiſſa nondum tradita ſit; nam Pontifex abſo-

lutè

ſutè irritat electionem ſimoniacè factam, dando, vel promittendo: quid autem ſit ſimonia mentalis, realis, & conuentionalis, patet ex dictis *de ſimonia*, & communiter traditur à Doctoribus.

8 Limitatur ſecundò, modò ſimonia influxerit in electionem; quamobrem ſi Cardinalis alium pretio corrupit, vt ſe ipſum eligeret, ſed corruptus mutata voluntate alium elegit, electio valida eſt. Ratio eſt, tum quia pœna ob aliquod delictum impoſita non incurritur effectu non ſecuto, in hoc autem caſu effectus ſecutus non eſt, cùm facta non fuerit electio, cuius intuitu ſimonia commiſſa fuerat; tum quia Iulius II. in ſua conſtitutione irritat electionem factam per ſimoniam; iſta autem electio non fuit facta per ſimoniam, cùm ſimonia non fuerit illius cauſa, & in illam non influxerit, quamuis dici poſſit facta cum ſimonia concomitante, & electus ſimoniæ reus ſit, vt bene Sopranus *loco citato quæſt.* 16. & alij. Ex quo patet à fortiori electionem validam eſſe, ſi poſtea is, qui ſimoniam commiſerat, vt eligeretur, eligatur ſolum ab iis, qui ſimoniam non commiſerant, hæc enim electio non dicitur facta per ſimoniam.

Obiicies contra iſtam limitationem, etiamſi

admittamus præfatam electionem non eſſe inualidam, eo quod ſimonia illius cauſa non fuerit, nihilominus inualida videtur defectu Cardinalis, qui ſimoniam commiſerat, hic enim priuatus ipſo facto remanet Cardinalatu, vt dicitur *in Bulla Julij II.* Electio autem Papæ facta ab iis, qui non ſunt Cardinales, irrita eſt, *cap. in nomine Domini* 23. *diſtinct.* & *cap. licet de elect.*

Reſponderi poſſet, primò Cardinálem ſimoniacum adhuc Cardinalem eſſe, cùm non teneatur ſe Cardinalatu abdicare ante ſententiam criminis declaratoriam, ſi ſequamur ſententiam aſſerentium neminem teneri pœnam, quæ actionem hominis ad ſui executionem requirit, ſubire ante ſententiam ſaltem criminis declaratoriam, de qua re ſufficienter egi *in tractatu de legibus.*

Reſpondeo ſecundò cum Soprano *loco citato quæſt.* 17. & aliis, Cardinalem priuari Cardinalatu ob ſimoniam commiſſam ſimoniacè eligendo, hunc autem ſimoniacè non elegiſſe, vt ſuppono, cùm ſimonia non fuerit cauſa efficiens electionis, ſed ſolùm concomitans, & per accidens, conſequenter electio ex neutro capite inualida eſt, vide quæ ſuprà tradidi *quæſt.* 1. *obiect.* 1. *num.* 8.

9 Rogabis vtrum electio valida ſit, quoties quis

quis electus fuit, non ſolum ab eo, quem pretio corruperat, verum etiam ab aliis ſimoniæ labe non infectis, quorum vota ſufficiunt ad electionem, etiam exceptis votis, & ſuffragiis ſimoniacorum.

Reſpondent aliqui Doctores electionem inualidam eſſe. Ratio eſt, tum quia iſta electio dicitur facta per ſimoniam, cùm ſimoniacus ad illam ſuo voto cooperatus ſit, ſicut cooperati ſunt cæteri ſimoniaci ſimoniacæ labis expertes; tum quia Iulius II. *in ſua Bulla*, ſtatuit, vt electus per ſimoniam Apoſtaticus ſit, etiamſi vota omnium habeat nemine diſcrepante, ita Sopranus *quæſt.* 18. Contrarium improbabile mihi non videtur, vt conſtabit ex dicendis *quæſt.* 5. *punct.* 1. *num.* 9.

10 Tertiò limitatur, modò ſimonia commiſſa ſit, conſentiente, vel ſaltem conſcio ipſomet electo, & non contradicente. Ratio eſt, tum quia grauis pœna Eccleſiaſtica graue delictum ſupponit, nullum enim eſt peccatum niſi voluntarium, non poteſt autem eſſe voluntarium ſine præuia cognitione, tum quia Iulius eam irritat electionem, ob quam electus accuſari poteſt, tanquam de indubitata hæreſi, is autem qui non conſentit in ſimoniam, aut qui eam ignorabat, accuſari non poteſt tanquam de indubitata hæreſi, ita P. Andreas

Gambara *in expoſitione Bullæ Iulij II. n.*137.& Sopranus *lib.4.cap.*1.*quæſt.*4. Immò addit Sopranus *quæſt.*8. non poſſe legem ferri qua irritetur electio Papæ ſimoniacè facta, inſcio ipſo electo. Ratio eſt, tum quia innocens puniri non poteſt ob alterius delictum, pœna enim ſub ratione pœnæ imponitur, vt delictum puniatur, & delinquens corrigatur, conſequenter infligi debet illi, in quo eſt delictum, alioquin non corrigeret delinquentem, ſicuti lignum diſtortum, & curuum non efficitur rectum directione, & correctione erga aliud lignum adhibita; tum quia Iure Ciuili cauetur, ne pœna imponatur ei, qui culpam non commiſit, *l. ſancimus, C. de pœnis*, idémque decernitur Iure Canonico, *cap. crimen.* 1. *quæſt.*4. *cap. ſi habes* 24. *quæſt.*3. & in Scriptura *Ezechielis* 18. dicitur, *anima quæ peccauerit ipſa morietur*, &, *filius non portabit iniquitatem patris.* Verum quid ego ſentiam in hac vltima additione, ſeu ampliatione Soprani, conſtat ex dictis *in tract. de legibus diſp.*2. *quæſt.* 7. *punct.*3. cum S. Thoma, Vazquez, Valentia, & aliis, & ex dictis *de ſimonia*, vbi contrarium ſuſtinui, & probaui.

Obiicies Iulius II. *in præcitata Bulla* irritat electionem Papæ factam per ſimoniam ab ipſo electo commiſſam, vel ab aliquo ex Ele-

ctoribus; cùm autem Electores poſſint ſimoniam committere, inſcio, & non conſentiente Papa electo, ſequitur electionem ſimoniacam, irritam eſſe, etiamſi electus non conſenſerit, vel inſcius fuerit, alioquin Iulius II. fruſtra locutus fuiſſet, ſub illa forma diſiunctiua, ab electo, vel ab aliquo ex Electoribus.

Reſpondeo Iulium II. irritare electionem ſimoniacè factam, videlicet conſentiente, vel conſcio electo, hæc enim limitatio, ſeu tacita interpretatio non eſt voluntaria, & conficta, ſed quaſi neceſſaria, vt patet ex rationibus in hac tertia limitatione allatis. Neque hinc ſequitur illam formam diſiunctiuam fruſtra adiectam fuiſſe; nam addita fuit ad irritandam electionem ſimoniacè factam ab electo, aut ab alio, conſcio ipſo electo, licet ipſe non mandauerit, nec conſenſerit, vt benè Sopranus *lib.4.cap.1.quæſt.4.verſ.Dico 3.*

11 Rogabis quomodo gerere ſe debeat electus qui animaduertit ſimoniam ab aliquo commiſſam fuiſſe. Reſpondeo iuxta dicta in ſimili *de ſimonia* teneri reclamare, & talem electionem reſpuere detegendo ſimoniæ crimen, ſimúlque curare, vt electio iterum inſtruatur, ita Sopranus *in manuſcriptis de electione Pontificis, lib.4.cap.1. quæſt.4. ſub finem,* & alij cõmuniter quos in ſimili retuli *de ſimonia.*

12 Limitatur quartò, modò ſimonia committatur ab ipſo electo, vel ab aliquo ex Electoribus, ſic enim expreſsè habetur *in præcitata Bulla.* Ex quo ſequitur primò electionem non vitiari, quoties ſimonia ab aliis committitur inſcio electo, vel Electoribus: quamobrem ſi Princeps, aut alius pecuniam tradat conſanguineo alicuius Cardinalis, aut alteri qui gratia apud ipſum valet, vt Cardinalem inducat ad certum aliquem eligendum, electio irrita non eſt, quia ſimonia commiſſa non fuit ab electo, aut Electoribus, vt ſuppono: Secundò ſequitur irritam eſſe electionem, quoties Princeps aut alius tradit aliquid Cardinali, vt certum aliquem eligat.

13 Limitatur quintò à Gambara *in expoſitione Bullæ Iulij II. num.*122. à Soprano *lib.*4. *cap.*2. *quæſt.*12. & ab aliis à me relatis *in tract. de ſimonia*, niſi pecunia quæ traditur ſit leuis ſummæ, ſeu modici, & non magni momenti. Ratio eſt, tum quia ſicut paruitas materiæ excuſat à mortali, ita etiam à pœna graui, quæ ob grauem culpam inducta fuit; tum quia Iulius II. *in dicta Bulla*, dicit pecunias, non pecuniam; id modicum cenſendum videtur, quòd iudicio prudentis viri non eſt ſufficiens, ad flectendum, ſeu corrumpendum animum. Alij verò probabilius arbitrantur electionem

vitiari,

vitiari, quoties res, ſeu pecunia etiam non magni momenti, cauſa fuit talis electionis. Ratio eſt, tum quia huiuſmodi electio ſimoniaca eſt, & mortaliter peccaminoſa; tum quia Pontifex irritat electionem factam ſimoniacè, tradendo, vel recipiendo bona cuiuſcunque generis, ita in ſimili ſentire videntur. Nauarr. *conſil.* 52. *de ſimonia*, & Suarez *de ſimonia lib.* 4. *cap.* 55. *num.* 17. *& cap.* 56. *num.* 6. aſſerentes excommunicationem ob ſimoniam, in ordine, vel in beneficio impoſitam, incurri dum ordine, vel beneficio iam collato ex præuio pacto, ſoluitur pars, licet minima pretij conuenti; ſententia tamen Gambaræ, & aliorum probabilis eſt; vide quæ tradidi *de ſimonia quæſt.* 3. *num.* 13.

14 Limitatur ſextò ab aliquibus, modò ſimonia notoria ſit. Ratio eſt, tum quia hoc pacto vitantur multæ fraudes, & incommoda, quæ in Eccleſia ſuboriri poſſent, irritata electione ob quamlibet ſimoniam, quilibet enim Electorum confingere poſſet, ſe labem ſimoniæ in talis Papæ electione commiſiſſe, aut ſaltem (quia allegans propriam turpitudinem facilè repellitur) inducere poſſet alium, qui de huiuſmodi crimine accuſaret; ſícque probata falſis teſtibus ſimonia, Papā excluderet; tum quia illa ſimonia electionem irritat, cuius

exceptio opponi poteſt, exceptio autem ſimoniæ opponi non poteſt, niſi ſimonia ſit notoria, vt patet *ex Bulla Iulij II.* Summus enim Pontifex ibi loquitur de ſimonia quæ poſſit contra ſic electum opponi, ſicut de vera, & indubitata hæreſi: hæreſis autem, ſeu crimen, tunc verum & indubitatum videtur, quando eſt notorium; præterea poſt factam oppoſitionem de ſimonia, recedendum eſt ab electo, non expectata vlla ſententia, ſicut receditur ab hæretico in Papam electo, cùm autem ab Hæretico in Papam electo recedendum non ſit, niſi hæreſis notoria ſit, *cap.*1. *diſt.*23. & ibi gloſſa ſequitur; neque recedendum ab electo ſimoniacè, niſi ſimonia notoria ſit, ita P. Andreas Gambara *in extrauagantiis Iulij II. n.*33. Tuſchus *tom.*2. *littera E. concl.*57. Cardinalis Iacobatius *de Concilio lib.*4. *art.*4. *num.*84. Sopranus *loco citato quæſt.*5. *&* 7. & alij apud Iacobatium *loco citato.*

Addit autem Sopranus *quæſt.*6. ſimoniam tunc notoriam eſſe quando de ea per inſtrumentum publicum conſtat.

15 Ego verò dico primò, ſimoniam notoriam eſſe, quoties in præſentia multorum perpetrata fuit, & nulla rationabili tergiuerſatione celari poteſt, vt in ſimili alibi docui, *de percuſſione Clerici*, aut quoties ſimoniacè electus, ſimoniæ

ſimoniæ crimen in iudicio confeſſus fuit, aut quoties de tali crimine fama publica ex indiciis ſufficientibus orta eſt.

Dico ſecundò, probabilius mihi videri electionem ſimoniacam in foro conſcientiæ irritam eſſe, etiamſi notoria non ſit. Ratio eſt, tum quia Iulius II. abſolutè irritat electionem ſimoniacam, modò ſimonia perpetrata fuerit ab electo, vel ab eligentibus, & fruſtrà ab aliquibus Doctoribus additur, huiuſmodi electionem debere eſſe notoriam, Pontifex enim iſtam conditionem non addit, alioquin cuique liberum eſſet, clauſulas legibus addere, & limitationes contra expreſſam legiſlatoris mentem confingere; tum quia ſicut omnes excommunicati vitandi erant ante extrauagantem *Ad euitanda*; poſt illam verò vitandi ſunt tantummodo excommunicati denunciati, & notorij, ita omnis ſimoniaca electio Pontificis irrita eſt, niſi aliter decernatur.

Ad rationes in contrarium. Reſpondeo, illas ſolum procedere pro foro externo, ſeu ad probandam, vel admittendam exceptionem de ſimonia, dum Papa nondum receptus fuit, vt tradit Iacobatius *lib.* 4. *art.* 4. *num.* 44. 70. *& ſequentibus.*

Ex quo ſequitur primò, duos, vel tres qui inter ſe ſimoniacè paciſcuntur de electione,

non

non ſolum affici excommunicatione, & aliis pœnis, vt concedunt etiam Gambara, & Sopranus *locis citatis*, verum etiam electionem irritam efficere, vt probatum eſt, licèt præfati Doctores electionem validam eſſe arbitrentur.

Secundò irritam eſſe electionem, quoties Cardinalis qui Papatum affectabat dedit alteri Cardinali prædium, hoc ſolum fine, vt ei votum in electione conferret. Ratio eſt, quia iſta actio eſt verè ſimoniaca ex parte dantis, conſequenter electionem vitiat. Oppoſitum ſuſtinetur ab aliquibus Doctoribus, quia licèt hæc datio ſimoniaca ſit ex parte dãtis, nihilominus non eſt notoria, & manifeſta, etiamſi fortè omnes præſumpſerint ſimoniæ labem in huiuſmodi donatione ſubeſſe; dixi ad hunc ſolum finem, quia ſi tradat animo conciliandæ ſibi beneuolentiæ, vt poſtea, ea mediante, ſuffragium illius obtineat, electio non ſubuertitur, quia hæc non eſt propriè ſimonia, vt ſuo loco docui.

Obiicies primò, ſi electio ſimoniaca, licèt occulta, irrita eſſet, ſequeretur acta Pontificis hoc pacto electi irrita eſſe, conſequenter plurima abſurda, & incommoda in Eccleſia ſequerentur. Reſpondeo negando ſequelam, vt alibi probaui, *ex l. Barbarius, ff. de officio Prætoris*,

Eccleſia

Eccleſia enim in tali euentu ſupplet id, quod ſupplere poteſt.

Obiicies ſecundò, Summus Pontifex non ligatur legibus humanis quoad vim coactiuam; ergo illius electio irritari non poteſt. Reſpondeo Papam non ligari legibus humanis, electionem tamen legibus humanis ſubiici, Eccleſia enim formam electionis præſcribit, qua non ſeruata, non tenet electio; conſequenter electus forma non ſeruata, non eſt Papa, cùm Papa conſtituatur per legitimam electionem, vt bene Azor. 2. *part. lib.* 4. *cap.* 5. *quæſt.* 7. *verſ. Et certè*, & alij Doctores communiter de hac re agentes.

16 Quæres primò, vtrum ſuffragia publicari poſſint, dum alicui Cardinali ſimoniæ crimen circa electionem opponitur. Reſpondeo affirmatiuè dum crimen aliter purgari non poteſt. Ratio eſt, tum quia Iulius II. ſtatuit ſemper poſſe opponi contra ſimoniacè electum, cùm autem iſta oppoſitio aliquando nequeat alia ratione purgari, quàm publicatione ſuffragij, ſequitur ſuffragium tunc temporis publicandum eſſe, tum quia Gregorius XV. *in ſua Bulla de electione Pontificis*, decreuit ſuffragium electi aperiri, quando ſuboritur caſus, vt ſciri debeat, an aliquis ſibi ſuum ſuffragium contulerit, ergo à ſimili, &c. ita

Sopra

Sopranus *lib.4. cap.29. quæſt.18. & 19.*
17 Quæres ſecundò, vtrum pœnæ iſtius conſtitutionis Iulianæ incurrantur ab eo qui ſimoniam commiſit, vt in Papam eligeretur, qui poſtea nominatus quidem fuit, ſed non fuit electus, eo quod nonnulla ſuffragia ad congruam electionem ei defuerint. Reſpondeo primò, pœnas iſtius conſtitutionis non incurri, licèt aliæ pœnæ iure communi contra ſimoniacos editæ contrahantur. Ratio eſt, quia Iulius II. has pœnas non impoſuit ob nominationem ſimoniacam, ſeu ob electionem incompletam, ſed ob completam; nam loquitur de illa electione, ob quam electus ſublato defectu ſimoniæ, ius ad Papatum haberet, & poſſet eſſe verus Papa, ita Sopranus *loco citato, quæſt.20. verſ. Sed tamen dicendum.*
18 Quæres tertiò, vtrum ſicut electio Papæ infecti labe hæreſis, vel ſimoniæ, irrita eſt, ita etiam irrita ſit, ſi Papa notoriè criminoſus eligatur. Reſpondeo negatiuè, ratio eſt, tum quia nullo iure conſtat huiuſmodi electionem irritari; tum quia contra Papam aliàs legitimè electum, non poteſt aliud vitium, præter ſimoniam, & hæreſim opponi, *cap. licet de electione*; ergo electio irrita non eſt, ob alia crimina, etiamſi grauiter peccent ij, qui criminoſum ſcientes eligunt. Abb. *in cap. licet, de elect.*

*elect.* Azor.2.*p.lib.*4.*cap.*5.*quæſ.*7. *verſ. Rogabis;* Iacobatius *de Concilio lib.*4.*art.*9.*num.*3. Gambara *in extrauag. Iulij II. n.*164. Sopran.*lib.*4. *cap.*5. *ad finem,* & alij communiter, idem ſentientes de eligente indignum ad alias dignitates & officia, vide *ſupradicta quæſt.*1.*puncto* 3. *num.*3.*& ſeqq.*

19 Quæres quartò, vtrum Papa eligi debeat, ex ipſo Collegio, & numero Cardinalium. Reſpondeo eligendum eſſe ex numero Cardinalium, ſi habilis, & idoneus inter ipſos reperiatur *cap. in nomine diſtinct.* 23. verum ſi eligatur aliquis extra Collegium, etiam dum aliquis ex Collegio Cardinalium habilis reperitur, electio tenet. Ratio eſt, quia *in cap. licet, de electione*, ſimpliciter decernitur, vt electus à duabus Cardinalium partibus recipiatur, nec alibi oppoſitum cauetur in hoc caſu, ita Sotus *lib.*4.*de iuſt.quæſt.*6. *art.*2.*ad* 5. Azor. 2.*part. lib.*4.*cap.*5. *quæſ.*6. Cardinalis Tuſchus *tom.* 3. *littera E. concluſ.* 5.7. *num.* 24. Gondislaus *de orig.& poteſt.Cardinalium quæſt.* 5. *num.*31. Iacob. *de Concil. lib.*1. *fol.*44. Manfr. *de Cardin. deciſ.*265. vide infrà dicenda *diſput.*2. *quæſt.*2.

QVÆ

# QVÆSTIO III.

## *De requiſitis ex parte loci ad validam Summi Pontificis Electionem.*

### SVMMARIVM.

1 *Electio facienda eſt in Conclaui clauſo.*
2 *Electio facta Conclaui clauſo valida eſt, etiamſi forte ibi aliqui extranei lateant.*
3 *Conclauis nomine quid intelligatur.*
4 *Conclaue vbi conſtituendum ſit.*
5 *Conclaue an conſtituendum ſit in palatio Papæ.*
6 *Conclaui iam clauſo quinam in illud admitti poſsint.*
7 *Conclaui clauſo an conſenſus omnium Cardinalium requiratur, dum aliquis in Conclaue admittendus eſt.*

### VNICA PROPOSITIO.

1 ELectio Summi Pontificis facienda eſt in Conclaui iam clauſo, hæc propoſitio patet, Primò, ex iure antiquo *in cap. vbi periculum,*

*lum, de electione,* Secũdò ex conſtitutione Gregorij XV. in qua non ſolum præcipitur electionem in Conclaui clauſo celebrari, verum etiam electio aliter facta irritatur, ibi, *Quod ſi electio alibi celebrata fuerit, quàm in Conclaui clauſo, nulla ſit, & inualida, eo ipſo abſque vlla declaratione.* Tertiò quia expedit electionem in Conclaui clauſo fieri, vt libere fiat ſine metu, coactione, ſordibus, & his ſimilibus; ex quo patet qua ratione ductus, ſit Gregorius XV. ad irritandam electionem, Conclaui nondum clauſo factam.

Obiicies primò, ex iſtius conſtitutionis, & clauſuræ obſeruantia, grauiſſima ſequi poſſunt incommoda; Primò enim fieri poteſt, vt electio malitioſè ab aliquibus impediatur, ſi Conclaui clauſo, dum Cardinales ad electionem in capella conuenerunt, aliqui Conclaue perfringant, vel ingrediantur; Secundò irrogari poſſet iniuria Spiritui ſancto, nam ſi Cardinales Spiritu ſancto afflati, ſtatim ac Conclaue ingreſſi ſunt, illúdque nondum claudi curarunt, vna voce aliquem in Papam eligerent, huiuſmodi electio inualida eſſet, contra dictamen, & inſpirationem Spiritus ſancti; qui *vbi vult ſpirat*, nec humanis ſubiacet legibus, & *vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Reſpondeo hæc incommoda non obeſſe; ad

primum enim dico electionem validam eſſe, quia Cõclaue cùm iam clauſum fuerit, moraliter cenſetur clauſum, & pro clauſo habetur, ad effectum validitatis electionis, donec de conſenſu duarum partium Cardinalium in Conclaui præſentium per ſecreta ſuffragia apertum eſſe declaretur; vide Cæremoniale electionis *pag.* 100. *verſ. Quoniam autem*, vbi affertur forma claudendi Conclaue, & declaratur quamdiu clauſum cenſeatur.

Ad ſecundum, Dico primò hunc caſum nunquam forte euenturum peculiari Spiritus ſancti impulſu; nam Spiritus ſanctus non eſt ſibi contrarius, & ſicuti veriſimile eſt iſtam conſtitutionem impulſu Spiritus ſancti conditam fuiſſe, (Spiritus enim ſanctus Summo Pontifici præſertim in grauioribus aſſiſtit) ita exiſtimandum cenſeo Spiritum ſanctum ad illius obſeruantiam cooperaturum. Dico ſecundò in præfato caſu, ſi daretur, inſpiciendum eſſe, vtrum conſtet id miraculosè, & ex peculiari Dei diſpoſitione fieri, vel non; ſi non conſtat miraculosè fieri, electio valida non eſt; tum quia, quæ à Spiritu ſancto via ordinaria fiunt, ſubiacent legibus Pontificis, vt patet in ſacrificio Miſſæ, in abſolutione à peccatis, in adminiſtratione Sacramentorum, quæ ſunt actiones à Spiritu ſancto, nihilominus

cùm

cùm via ordinaria fiant, ſubiiciuntur legibus Pontificis; ita vt licitè fieri non poſſint, niſi tali loco, tempore, & circumſtantiis ab Eccleſia præſcriptis; tum quia facilè credendum non eſt omni Spiritui, inquit Apoſtolus, tum quia Spiritus ſanctus, qui ſemel afflauit, afflabit etiam clauſo Conclaui; ſi conſtat id miraculosè fieri, electio valida eſt; tum quia opera miraculoſa non cadunt ſub humanam diſpoſitionem, & quæ à Spiritu ſancto de potentia abſoluta fiunt, nullis legibus, aut rationibus humanis ſubiacent, *c.niſi cum pridem de renunc.* & *cap.duæ ſunt* 19. *q.* 2. tum quia Papa non eſt Deo ſuperior, ſed ipſius Vicarius; Vicarius autẽ non irritat facta Principis, cuius vices gerit.

2 Rogabis, vtrum valida ſit electio Papæ facta in Conclaui clauſo, ſed ibi exiſtentibus aliquibus, qui facultatem ibi exiſtendi non habeant. Reſpondendum mihi videtur validam eſſe; tum quia electio facta videtur in Conclaui clauſo; Conclaue enim non amittit clauſuram præcisè ob alicuius ingreſſum, contra Iuris diſpoſitionem, vt apertè conſtat in ſimili *de clauſura Monialium*; & ex Cæremoniali *loco citato*, tum quia verſamur in materia pœnali, in qua benignior interpretatio facienda eſt. Contrarium ex parte docet Sopranus *lib.3.cap.8.& 9.*

 Obiicies,

Obiicies, propter quod vnumquodque tale, & illud magis, Authent. *multo magis*, *C. de ſacroſ. ſanct. Eccleſ.* ſed præcipitur Conclaue claudi, & obſtrui, vt extranei excludantur, alioquin electio irrita eſt, & inualida; ergo multò magis irrita, & inualida eſt electio facta omnibus extraneis non excluſis, cùm obſtrui Conclaue præcipiatur propter extraneorum excluſionem. Reſpondeo illam propoſitionem valere, dum finis præcepti eſt materia præcepti, in noſtro autem caſu admiſſio, ſeu exiſtentia alicuius extranei in Conclaui iam clauſo, non eſt materia præcepti irritantis electionem factam Conclaui nondum clauſo; nam fieri poteſt, vt Conclaue clauſum ſit, etiamſi ibi extraneus aliquis abſque debita facultate exiſtat, vt patet ex Cæremoniali *loco ſuprà citato.*

An autem hic peccet, & excommunicatione ligetur, explicabitur infrà *diſp. 2. quæſt. 4.*

3 Rogabis ſecundò, quid nomine Conclauis intelligatur. Reſpondeo intelligi locum in ædibus, qui clauditur claui communi iis, qui ad illud accedere debent: Ex quo licet inferre in Conclaui non debere vlla loca clauſa adeſſe, quæ Cardinales adire nequeant, alioquin Conclaue non diceretur, fieri tamen poteſt, vt aliqua loca ſine Conclauiſtis clauſa, quia ſatis eſt, vt ipſis peruia, & aperta ſint loca

depu

deputata ad obſequia, ad quæ ipſi adhibentur; vide infrà dicenda *quæſito 5. puncto 3. num. 2.*

4 Rogabis tertiò, vbi conſtruendum ſit Conclaue in quo Summi Pontificis electio facienda eſt. Reſpondeo diſtinguendo, vel Papa periit in aliqua vrbe in qua reſidebat; vel periit in vrbe in qua non reſidebat; vel in nulla vrbe periit. Si periit in vrbe in qua reſidebat, & Curiam habebat, in ea vrbe conſtruendum eſt Conclaue, ibíque facienda eſt electio, *cap. vbi perit. de elect.* Clem. *ne Romani, verſ. Sanè, de elect.* & conſtabit ex dicendis, *diſp. 2. quæſt. 3. quæſito* 1. Si periit in vrbe in qua non reſidebat, nec Curiam habebat, vt ſi in vno loco Pontifex exiſtebat cum ſua familia, & alibi cauſarum Tribunal, ſeu Curia Romana reſidebat, electio facienda eſt, vbi Romana Curia, ſeu cauſarum Tribunal exiſtebat, quia *in præfato cap. vbi periculum*, habetur electionem faciendam eſſe, in ea ciuitate, in qua Summus Pontifex cum ſua Curia reſidebat; ſi ergo Romana Curia ibi non exiſtebat, ſed Romæ. Electio Romæ facienda eſt, ita deciſum fuiſſe Romæ poſt mortem Pij II. qui Auinione diem ſuum clauſit extremum, relicta Romæ Curia, teſtatur Cardinalis Papienſis, *lib. 1. ſuorum Commentariorum*; & Sopranus præceptor meus *in manuſcriptis, de electione*

*Summmi Pontificis,lib.3.cap.7.* idem ſentire videtur Iacobatius *lib.9.art.8.de Concilio.*

Si verò Papa in nulla vrbe periit, Conclaue conſtituendum eſt in ciuitate, in cuius diſtrictu, territorio, ſeu diœceſi mortuus eſt; ſi verò illud territorium, nullam habet ciuitatem, Conclaue conſtrui poſſe videtur in loco, quem Cardinales pro tempore opportuniorem iudicauerint, quia locus in hoc caſu non videtur ipſis præcisè definitus Gemin. *in cap. vbi periculum.* Manfred. *deciſ.*293. Abb. *quæſt.* 29. Sopranus *lib.2.cap.*1. Neque obſtat locum interdictum eſſe, quia acceleratio electionis Pontificis iuſtam exhibet cauſam nõ ſeruandi interdictum. Platea *de excom.§.ſi*; & alij apud Iacobat. *lib.4. art.4. num.* 94. quorum opinionem limitandam cenſeo, modò neceſſitas electionis vrgeat, alioquin electio facienda videtur in ciuitate viciniori non interdicta, vt decernitur *in cap.vbi periculum, §.porro de electione.* Vbi autem facienda ſit electio, quando Sedes vacat per renunciationem factam per Procuratorem, Papa alibi exiſtente, Iacobat. *lib.9. art.*8. putat faciendam eſſe in loco, in quo facta fuit renunciatio per Procuratorem; nam Sedes ibi vacare dicitur: Ego verò exiſtimarem electionem potius faciendam eſſe, vbi eſt Curia, niſi aliud iuſta cauſa ſuadeat, vt colligitur ex dictis.

5 Maior

5 Maior difficultas videtur, vtrùm Conclaue conſtruendum ſit in Palatio Papæ. Reſpondeo, regulariter loquendo, conſtruendum eſſe in Palatio Pontificis, vt colligitur *ex cap. vbi periculum, de electione in 6.* vbi Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi ſtatuit, vt Cardinales præſentes poſt decem dies à morte Pontificis conueniant in Palatium; hoc tamen non eſt de ſubſtantia electionis, neque neceſſarium eſt ad electionem, licet, regulariter loquendo, ſeruandum ſit ex Clemente V. *cap. ne Romani de electione*, & *cap. vbi periculum*, §. *hoc ſacro de electione*; ita Manfredus *de Cardinal. cap. 21. col. 2.*

6 Rogabis quartò, qui admitti, & intromitti poſſint in Conclaue iam clauſum. Reſpondeo admitti poſſe eos, qui faciunt, & conferunt ad electionem, *cap. vbi periculum cit.* ibi, *Nulli ad eoſdem Cardinales aditus pateat, vel facultas ſecretè loquendi cum eis, nec ipſi ad ſe venientes admittant, niſi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium, ibi præſentium pro iis tantum quæ ad electionis negotium pertinent.*

Ex quo patet primò intromitti poſſe Iuriſperitum, Tabellionem, Religioſum, ſi id electionis cauſa exigat, Secundò, patet Laicos ad eligendum Pontificem admitti non poſſe; tum quia id non pertinet ad negotium electionis,

nec Cardinales Laico huiuſmodi ius conferre poſſunt, cùm enim ius electionis ſpirituale ſit, non poteſt conferri Laico, niſi à Summo Pontifice, *cap. 2. de iudic*, & *cap. 4. de conſuetudine*, & *cap. cauſa de conſtitutionibus*.

7 Si petas vtrum conſenſum omnium, & ſingulorum Cardinalium neceſſarius ſit, dum quis in Conclaue intromittendus, vel admittendus eſt, vt loquatur. Reſpondent Ioannes Monachus *in cap. vbi periculum citato, num. 7.* Sopran. *loco citato cap. 19. ad finem*, ſufficere conſenſum maioris partis; Archid. verò, & Anchar. arbitrantur requiri conſenſum omnium, & ſingulorum, nullo excepto.

Sed mihi diſtinguendum videtur; vel conſenſus præſtatur à Cardinalibus collegialiter congregatis, & conſentientibus, vel non; ſi præſtatur à Cardinalibus non collegialiter conſentientibus, exiſtimo requiri conſenſum omnium, & ſingulorum; quia, *cap. vbi periculum*, generaliter loquitur, ibi *omnium Cardinalium inibi præſentium*, ſi verò conſenſus exhibetur à Cardinalibus collegialiter congregatis, exiſtimo ſufficere conſenſum maioris partis; nã quæ à maiori parte Capituli, ſeu Collegij fiunt, ab omnibus fieri cenſentur, niſi aliud in particulari caſu decernatur, *cap. denique 2. q. 2.* & *c. quia propter de elect.* vide quæ infrà tradam,

dam, *diſp. 2. quæſt. 4.* vbi explicabo excommunicationem latam contra eos, qui Cardinales ſecretò in Conclaui alloquuntur.

# QVÆSTIO IV.

## *De requiſitis ad electionem Summi Pontificis ex parte temporis.*

Duo in hac quæſtione breuiter explicabo: primò, quónam tempore fieri debeat Summi Pontificis electio: ſecundò, vtrum electio facta vltra præſcriptum tempus, valida ſit.

### *SVMMARIVM.*

1 *Electio Summi Pontificis facienda non eſt ante decem dies ab obitu Pontificis, nec vltrà differri debet.*

2 *Electio Pontificis quandónam fieri poſsit, ante lapſum decem dierum, & quando non vltrà differri poſsit.*

3 *Pontificis electio ex graui cauſa vltra decem dies differri poteſt.*

4 *Electio Pontificis facta ante elapſos decem dies, valida eſt.*
5 *Electio dilata vltra decem dies, valida eſt.*
6 *Electio an nocturno tempore fieri poſsit.*
7 *Electio nocturno tempore inchoata, & abſoluta, irrita non eſt.*

## PRIMA PROPOSITIO.

1 ELectio Summi Pontificis, non eſt facienda ante decem dies integros ab obitu Pontificis, nec vltra decem dies differri poteſt; hæc propoſitio duas habet partes : Prima eſt, electionem faciendam non eſſe ante decem dies ab obitu Pontificis. Ratio eſt, tum quia ita præſcribitur *in cap. vbi periculum*, in quo præceptum Cardinalibus iniungitur conueniendi ad electionem Pontificis decem diebus elapſis; tum quia Cardinalibus abſentibus iniuria fieret, electione ante decem dies facta; ipſi enim intra decem dies expectandi ſunt, Summis Pontificibus hoc ipſis priuilegium concedentibus, præſertim *in cap. vbi periculum citato*, ibi, *Abſentes expectare decem diebus tantummodo teneantur, quibus elapſis, ſiue abſentes venerint, ſiue non ex tunc omnes conueniant in Palatium, in quo idem Pontifex habitabat*, tum quia ſpatium decem dierum à Pio IV. in

in Bulla quæ incipit *in eligendis*, aſſignatur: non ſolum vt Cardinales abſentes decem diebus expectentur, verum etiam vt ſolitæ nouem continuorum dierum exequiæ celebrentur: *Cardinales*, inquit, *præſentes decem tantummodo diebus iuxta dicti Gregorij Prædeceſſoris constitutionem in Concilio Lugdunenſi editam Cardinales abſentes expectare teneantur, & interim ſolitas nouem continuorum dierum exequias omnino peragant.* vide Albanum *quæſt.* 13.

Ex quo ſequitur primò, Cardinales electionem præuenientes ante integros decem dies elapſos ab obitu Pontificis grauiter peccare, tum contra Summorum Pontificum decreta; tum contra Cardinales abſentes quibus in electione ius ſuum auferre videntur.

Secundò ſequitur electionem Summi Pontificis ante decem dies fieri non poſſe, etiamſi duo, vel tres tantummodo Cardinales abſint, quos omnino conſtet intra decem dies conuenire non poſſe ob itineris diſtantiam, prauam valetudinem, vel ob aliud impedimentum. Idem dic etiamſi omnes Cardinales in Curia præſentes ſint, nam ſpatium decem dierum, non ſolum præfigitur ad expectandos abſentes, verum etiam ad exequias peragendas; ceſſante autem vna cauſa legis, & alia remanente, legis obligatio non ceſſat, vt do-

cui

cui *de legibus diſp.*1*.quæſt.*1*.puncto vlt.*§.2.cum Suarez Couarruuia, Alphonſo à Caſtro, Salonio, Guttierez, Salas, Caietano, & aliis.

2 Hæc tamen intelligenda ſunt modò iuſta non ſubſit cauſa præueniendi, & non expectandi integrum decem dierum ſpatium. Ratio eſt, quia in qualibet diſpoſitione, intelligitur excepta iuſta cauſa, quæ oppoſitum rationabiliter ſuadeat, *cap.excellentiſsimè* 11.*quæſt.*3. & legis obligatio ceſſat in iis caſibus, qui per epicheïam in lege comprehenſi non exiſtimantur, *l.non dubium, C. de leg.* vide tradita *de legibus loco citato num.*8. *& ſeqq.*

Iuſta autem cauſa præueniendi videtur eſſe grauis Eccleſiæ neceſſitas ita exigens, bellum ingruens, incuſſiones, & ſeditiones repente exortæ, timor aëris inficiendi, & ſimilia, quæ iudicio prudentum relinquuntur.

3 Secunda pars propoſitionis eſt, vt electio Summi Pontificis vltra decem dies non differatur, niſi grauiſſima cauſa dilationem permittat. Ratio eſt, tum quia Gregorius X. *in cap. vbi periculum*, præcipit Cardinalibus, vt decem diebus elapſis ex tunc omnes conueniant in Palatium, & Pius IV. prohibet electionem vltra decem dies differri, ibi, *Nec vllo prætextu vlteriùs differant*; tum quia dilatio electionis non leue incommodum Eccleſiæ afferre poteſt,

reſt, dum Eccleſia ſuo vniuerſali Paſtore deſtituta, & viduata remanet. Dixi niſi grauiſſima cauſa dilationem permittat; nam iuſta concurrente cauſa, electio differri poteſt, quatenus iuſta, & rationabilis cauſa permittit: vt patet, tum ex rationibus in ſimili allatis, *num. 2,* ad probandam præcedentis partis limitationem; tum exemplis, nam poſt obitum Alexandri VI. & Pauli III. longiùs dilatam fuiſſe Summi Pontificis electionem multi Scriptores ferunt: Hinc ſequitur electionem differri poſſe, dum vitæ periculum Cardinalibus impendet, aut dum impreſſio popularis, aut alius metus libertati electionis contrarius imminet.

Secundò ſequitur electionem differri non poſſe vltra decem dies, vt Cardinales abſentes expectentur; hæc enim non eſt iuſta, & ſufficiens cauſa, ſed potius iniuſta, & à ſacris Canonibus reprobata, vt patet ex verbis, *cap. vbi periculum*, & *conſtitutionis Pij IV.* ſuperiùs relatis.

## SECVNDA PROPOSITIO.

4 ELectio Summi Pontificis facta, nondum expletis decem diebus irrita non eſt, ſi circumſtantia temporis præcisè ſpectetur.

tur. Ratio eſt, tum quia circumſtantia temporis, non eſt de ſubſtantia electionis, ſed de præcepto; tum quia electio facta à duabus Cardinalium partibus, valida eſt, & qui hoc pacto electum non recipit, excommunicationem incurrit, *cap.licet*, *de elect.* ſed poteſt aliquis eligi à duabus Cardinalium partibus, non ſeruata temporis circumſtantia: ergo huiuſmodi electio valida eſt; ita Gloſſa *in cap. vbi periculum.* Francus Archidiaconus, & alij apud Abba.*de Cardin.quæſt.*14. Sopranus præceptor meus *in tract.de elect.lib.*4.*cap.*6.*quæſt.*1. contra Cardinalem Alban. *quæſt.*14.*ad finem.* Dixi ſi circumſtantia temporis præcisè ſpectetur, nam aliunde fieri poreſt, vt electio irrita ſit, vt defectu debiti numeri Cardinalium; nam ſi Cardinales, qui non expectato debito tempore Pontificem eligunt, duas ex tribus partibus totius Collegij Cardinalium partes non conficiant, electio inualida eſt, numerus enim neceſſarius ad electionem perficiendam conſtat duabus partibus totius Collegij Cardinalium vbicunque exiſtentium, vel duabus partibus Cardinalium legitimè præſentium, cùm autem nondum legitimum tempus elapſum ſit, intra quod abſentes expectari debent, Cardinales legitimè præſentes nõ cenſentur, cõſequenter electio nõ ſubſiſtit.

5 Sed modò dubium eſt, Primò, an ſicut circumſtantia temporis non vitiat electionem præueniendo, ita nec eandem ſubuertat differendo, ſi videlicet Cardinales elapſis decem diebus ſtatim non conueniant. Reſpondeo eodem modò non vitiare, vt patet ex rationibus allatis; exceptio enim contra Summum Pontificem à duabus Cardinalium partibus electum, opponi non poteſt, niſi in caſibus in Iure expreſſis; ſed dilatio & prorogatio non eſt impedimentum in Iure expreſſum, ergo opponi non poteſt; tum quia ſequeretur ſemel dilata electione, nullum poſtea creari poſſe legitimum Pontificem, quod eſt abſurdum.

6 Secundò dubium eſt, vtrum electio Summi Pontificis nocturno tempore fieri poſſit. Reſpondeo, nocturno tempore faciendam non eſſe præciſa graui neceſſitate, niſi forte diurno tempore inchoata fuerit, & noctu compleatur, & perficiatur. Ratio eſt, quia dies publicis functionibus, & operibus dicatus eſt, non verò priuatis conſiliis, iuxta illud Pſalmi, *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam, vſque ad veſperam*; tum quia Papa eſt Vicarius Chriſti, qui eſt Deus lucis, non tenebrarum, vt benè aiebat Reginaldus Polus, dum Cardinales vellent ipſum noctu ad Pontificatum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tificatum eligere, & alia vice Robertus Cardinalis Bellarminus, dum rogaretur vt noctu cum aliis accederet ad eligendum Pontificem, ſic effatus eſt (teſte Soprano *lib.4. de elect. cap.4. quæſt. 3. ad finem.*) Pontifex qui ſic eligitur, non Pontifex lucis erit, ſed tenebrarum. Dixi præciſa graui neceſſitate, quia leges poſitiuę in graui neceſſitate obligare non conſueuerunt, vt ſuo loco docui, idémque in terminis docet Abbas *in cap.1. de cland. ſponſ.* & alij communiter *in cap. quia propter, §. fin. de elect.* Dixi niſi fortè diurno tempore inchoata fuerit; nam ſi die lucente inchoata fuit, eius abſolutio in noctem protrahi poteſt, nihil enim abſurdi ſequitur, ſi electio die lucente inchoata, noctu abſoluatur, cùm non minus reſpiciendum ſit principium, quàm finis, ita Ripa, Antonius Cuccus, & alij apud Rodriquez *tom.2. quæſt. 52. art. 15.*

7 Rogabis vtrum electio Summi Pontificis noctu inchoata, & abſoluta, irrita ſit. Reſpődeo negatiuè, quia contra Summum Pontificem à duabus partibus electum, exceptio opponi non poteſt, niſi in caſibus in Iure expreſſis; in Iure autem expreſſum non eſt, vt exceptio opponatur contra Pontificem noctu à duabus partibus per ſcrutinium electum.

Obiicies, ſententia noctu lata à Iudice non ſupremo,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſupremo, irrita eſt, ex Iaſone, *l. non minorem, C. de tranſact.* & aliis apud Rodriquez *tom. 2. quæſt. 52. art. 15.* ergo etiam irrita eſt electio. Reſpondeo primò, negando conſequentiam, quia à diſparatis non valet illatio: ſecundò, antecedens non admitti à Menochio *de arbitrat. lib. 1. q. 62.* & aliis, præſertim ſi proceſſus die inceptus fuit, & in noctem vſque prorogatus.

# QVÆSTIO V.

## *De requiſitis ex parte formæ ad electionem, ſeu de varÿs eligendi Pontificem modis & formis.*

### SVMMARIVM.

1 *Eligendi Magiſtratus forma quotuplex ſit.*
2 *Electio Eccleſiaſticorum per ſortes, vetita eſt.*
3 *Electionis forma quotuplex ſit.*

## PRIMA CONCLVSIO.

1 TRIPLEX aſſignari poteſt modus, quo Magiſtratus inſtituitur, ſeu quo aliquis in dignitate, vel officio conſtituitur, primus eſt per electionem, vt Imperator, Rex Poloniæ, & alij; ſecundus per ſortitionem, vt olim apud Perſas, & alias nationes; tertius per ſucceſſionem, vt in Hiſpania, Gallia, Anglia; has autem eligendi rationes ab hominibus inuentas fuiſſe nulli dubium eſt; cùm enim homines vellent ſibi Reges conſtituere formam conſtituendi ſibi Reges per electionem inuenerunt, ſed quia nonnulla inter eligendum dubia aliquando exurgebant (vt quando paria erant Electorum vota) ad ſortes confugiebant, iiſque litem dirimebant, deinde Regi, ſeu Principi, ſic Electo facultatem tranſmittendi Regnum, ſeu Principatum in ſucceſſores aliquibus in locis conceſſerunt, & hæc vocatur acquiſitio Regni, ſeu Principatus, ac Magiſtratus per ſucceſſionem; hæc porro ſucceſſio, vel contingit ſanguinis propagatione, (nam qui Principi proximior eſt, ſuccedit:) vel contingit deſignatione defuncti, vt experientia docet.

SECVN

## SECVNDA CONCLVSIO.

2 MAgiſtratus,ſeu Præſules Eccleſiaſtici, non conſtituuntur per ſortitionem. Ratio eſt,tum quia periculum eſt,vt ſors ſuper indignum cadat; tum quia ius Canonicum vetuit ſortes in dignitatibus Eccleſiaſticis, *cap.vlt.de ſortileg.* & ibi Gloſſa; Alban.*quæſt.*38. Azorius 2.*part.lib.*4.*cap.*5.*quæſito* 6.Miranda *in Manuali tom.*2.*quæſt.*23.*art.*18. Tuſcus *tom.*2. *concl.*79. Neque conſtituuntur per ſucceſſionem, ſiue loquamur de ſucceſſione quæ fit ſanguinis propagatione,ſiue de illa quæ fit deſignando ſucceſſorem; cùm enim Eccleſiaſtici voto caſtitatis obſtricti ſint, non poſſunt dignitates Eccleſiaſticas ad ſucceſſores deferre propagatione ſanguinis; & cùm Eccleſiaſtici ſucceſſorem ſibi eligere nequeant, non poſſunt dignitates Eccleſiaſticas, ad alios tranſmittere per deſignationem; quanquam peculiaris difficultas eſt, vtrum Papa poſſit ſibi ſucceſſorem eligere, vel deſignare, de qua re *infrà quæſt.vlt.* cùm ergo Præſules Eccleſiaſtici,non conſtituantur ſortitione, aut ſucceſſione,dicendum eſt conſtitui electione;hæc porro electio,ſi ab vno tantum fiat, vocatur inſtitutio,vel collatio;ſi à pluribus fiat,propriè appellatur electio,ex Ariſtotele 2. *Ethic.* S.Tho-

ma 2.2.*quæſt.* 13. & aliis, quos retuli *in tractatu de beneficiis*.

Sed modò peculiare dubium hic ſuboritur, vtrum ſuborta inter duos diſcordia in electione Summi' Pontificis, vter eorum ſit electus, mitti poſſint ſortes, ita vt is verus ſit Pontifex, ſuper quem ſortes ceciderint. Cardinalis, & alij, quos citat, & ſequitur Felinus *cap. Capitulum, num.* 21. *verſ. Sed ſeruando, de reſcript.* Sanchez *in opere morali*, *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 80. Paulus Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 3. *num.* 9. affirmant, modò id fiat de conſenſu Cardinalium, ad quos electio ſpectat; ſed negatiua ſententia ſuſtinenda eſt, quia Pontifex hoc tempore eligi non poteſt, niſi ſeruata Summorum Pontificum Gregorij XV. & Vrbani VIII. forma, de qua infrà.

## TERTIA CONCLVSIO.

3 TRes ſunt ſpecies, ſeu formę electionis, ex Innocentio *in c. quia propter, de elect.* prima fit per ſcrutinium; ſecunda per inſpirationem; tertia per compromiſſum, *cap. quia propter, de elect.* Electio per ſcrutinium perficitur certo numero ſuffragiorum, dum videlicet ſingulorum vota feruntur, vt is electus cenſeatur, qui certum ſuffragiorum numerum

obtinue

obtinuerit,ſeu iuxta conuentionem,vel ſtatutum. Electio per inſpirationem fit ſuffragiis omnium, nemine diſſentiente. Electio per compromiſſum contingit, dum Electores inter ſe non conueniunt, & ob id alium, vel aliquos eligunt, vt electio ipſius iudicio, vel arbitrio fiat, has omnes electionis formas ſeruari permittit Gregor. XV. & electionem alia ratione factam irritat, vt patet ex §. *matura*, & §. *quòd ſi electio*. Addi poſſet quarta creandi Pontificem forma, quæ fieri poteſt à Papa, deſignando, ſeu eligendo ſucceſſorem. Has ſingulas electionis formas ſeorſim maioris perſpicuitatis gratiâ explicare decreui in quatuor punctis proximè ſequentibus.

---

## PVNCTVM I.

De electione per ſcrutinium, ſeu per ſcrutinium, & acceſſum. In hoc puncto explicabo conditiones ad electionem per ſcrutinium, vel per ſcrutinium & acceſſum requiſitas.

*SVMMARIVM.*

1 *Electio per ſcrutinium requirit debitum ſuffragiorum numerum.*

2 *Suffragium iam latum, an reuocari poſsit?*
3 *Suffragium in quo plures nominati ſunt, irritum eſt.*
4 *Electio fieri debet per ſecreta ſuffragia.*
5 *Suffragium quandónam dicatur ſecretum.*
6 *Electio facta per adorationem inualida eſt.*
7 *Electio valida eſt etiamſi Cardinalis retulerit quod in ſuo ſuffragio continetur.*
8 *Electio an valida ſit, dum Cardinalis ſuum ſuffragium aliјs oſtendit antequam illud clauderet.*
9 *Electio valida eſt etiamſi aliqui tulerint ſua ſuffragia aperta, is tamen cui lata ſunt non fuit electus, ſed alius.*
10 *Electio an vitietur ob duo, vel tria ſuffragia aperta.*
11 *Electio inualida eſt, dum quis ſeipſum eligit, & ipſius ſuffragium complet numerum ad electionem requiſitum.*

## VNICA PROPOSITIO.

1 QVatuor ſaltem conditiones in electione per ſcrutinium neceſſariæ ſunt. Prima eſt, vt adſit debitus ſuffragiorum numerus, debitus autem numerus conſiſtit in ſuffragiis duarum partium Cardinalium in Conclaui exiſtentium, ſiue ad hunc numerum

rum perueniatur in ſolo ſcrutinio, vel in ſcrutinio, & acceſſu ſimul; nam *in bulla Gregor. XV.* dicitur, *ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclaui præſentium in ſcrutinio, ſeu ſcrutinio, & acceſſu.* An autem in numero ſuffragiorum computari poſſit ſuffragium, quod electus ſibi tribuit, conſtabit ex infra dicendis *conditione 4. num. 14.*

2 Quæres vtrum is qui ſuum ſuffragium tulit, poſſit illud reuocare, & alium eligere. Reſpondeo negatiuè dum ſuffragium in calice poſitum eſt. Ratio eſt, tum quia eligens iam functus eſt munere ſuo, & electo per huiuſmodi ſuffragium acquiſitum eſt aliquod ius, licet non plenum, nec perfectum; tum quia nemo mutare poteſt conſilium in alterius præiudicium, dum res non eſt integra, ſed inchoata, *l. nemo, ff. de reg. iur.* tum quia huiuſmodi mutatio, & reuocatio damnum Eccleſiæ afferre poſſet, hoc enim pacto protrahi & differri poſſet electio in qua periculum eſt in mora *cap. cùm inter vniuerſas, de electione:* ita Gloſſa, Ioannes Andreas, & Panormit. *in cap. vnico verb. occultis, vt Eccleſiaſtica beneficia,* Sylueſter *verbo electio 2. quæſ. 4.* Miranda *in manuali Prælatorum, tom. 2. q. 23. art. 24.* Rodriquez *tomo 2. quæſt. 51. art. 7.*

3 Secunda conditio eſt, vt in ſchedula ſcru-

tinij, vel acceſſus, plures non nominentur, alioquin ſuffragium irritum eſt, licet poſtea in acceſſu liberum ſit illi qui huiuſmodi ſuffragium cum plurium nominatione in ſcrutinio tulit, eligere vnum ex nominatis in primo ſcrutinio, vel ad alium accedere, qui in ſcrutinio ab vno ſaltem nominatus fuerat, vt patet ex eadem Gregorij bulla, ibi: *Nulli autem tam in ſchedula ſcrutinij, quàm acceſſus plures nominare liceat, alioquin ſuffragium, in quo plures fuerint nominati, nullum ſit; accedere tamen vni ex nominatis à ſe in dicta ſchedula, vel alij, dummodo aliquod aliud ſuffragium in eodem ſcrutinio tulerit non prohibeatur, & in numero Cardinalium in Conclaui præſentium numeretur.*

4 Tertia eſt, vt electio fiat per ſuffragia ſchedularum ſecreta, alioquin irrita eſt electio, nam in præfata Gregorij bulla, dicitur, *Quòd ſi electio aliter, quàm per ſecreta ſchedularum ſuffragia duabus ex tribus partibus Cardinalium in Conclaui præſentium in ſcrutinio, ſeu ſcrutinio, & acceſſu, electi ſuffragio non computato, celebrata fuerit, nulla ſit, & inualida, eo ipſo abſque vlla declaratione, & ita electo nullum ius tribuat, &c.* Garzias *part.5.cap.4.n.183.& ſequentibus.*

5 Sed modò dubium eſt, quandónam ſuffragia ſchedularum dici poſſint ſecreta. Reſpondeo, dici ſecreta, dum obſignata ſunt, ita

vt

vt ab aliis communiter deprehendi nequeat, quod in ipſis eſt. Ratio eſt, tum quia ſecretum contrà diſtinguitur, à publico, patente & notorio, ſed quamdiu ſuffragium eſt obſignatum, non eſt publicum, patens, & notorium; ergo eſt ſecretum, oppoſitum enim oppoſitas habet rationes, *l. fin. ff. de legat.* tum quia ſuffragia ideo obſignari iubentur, vt ſuffragator deprehendi non poſſit; ergo tandiu ſuffragium eſt ſecretum, quandiu ſuffragium ita obſignatum eſt, vt nomen ſuffragatoris communiter cognoſci non poſſit ab iis, qui ſchedulam præ manibus habent.

6 Ex dictis ſequitur, Primò inualidam eſſe electionem hoc tempore factam per adorationem; tum quia huiuſmodi electio non fit per ſecreta ſuffragia; electio enim per adorationem olim fiebat præuio tractatu de ſpeciali perſona, non ſolum informatiuo, & conſultiuo, ſed etiam incluſiuo, vel excluſiuo; deinde ſequebatur ſalutatio, & veneratio, deinde apertum & publicum ſcrutinium, quo ſinguli ſuffragium apertè proferebant, profitebantur, & proteſtabantur; tum quia præcipuus Gregorij XV. ſcopus, & finis in hac conſtitutione fuit, formam eligendi per adorationem auferre, & abrogare; quamuis enim forma electionis per adorationem

non ſit intrinſecè mala , nec iuri naturæ aduerſetur ( ſinguli enim ipſius actus , ſi per ſe precisè ſpectentur,mali non ſunt,vt patet eos ſingillatim perpendenti, & examinanti, alioquin tot Cardinales integerrimi , & Pontifices Doctiſſimi hoc non permiſiſſent:) nihilominus iure merito abrogata fuit propter incommoda quæ ipſam conſequebantur, nempe inquietudo animi, diuiſio factionum, præcipitatio deliberationis , & conſiliorum, inæqualis conditio Cardinalium ad Pontificatum , imò perpetua excluſio nonnullorum à Pontificatu, priuatio libertatis ferendi ſuffragia,periculum ſimoniacæ conuentionis, & ſimilia quæ non minus fusè, & prolixè, quàm eruditè 28. quæſtionibus proſequitur Sopranus *de electione Pontificis lib.4.part.2.*

7 Secundò ſequitur validam eſſe electionem, etiamſi aliquis Cardinalium aliis retulerit,quod in ſchedula continetur;ſuffragium enim ſchedulæ adhuc ſecretum eſt, vt colligitur ; tum ex allatis rationibus ; tum quia fieri poteſt , vt aliud in ſchedula ſcriptum ſit, aliud voce, & ore proferatur ; tum quia teſtamentum non deſinit eſſe clauſum,& ſecretum, etiamſi teſtator aliis ſignificet diſpoſitionem in eo contentam ; ergo etiam ſuffragium ſchedulæ, non deſinit eſſe ſecretum,

quamuis

quamuis ſuffragator indicet contenta in ſua ſchedula; aliud enim eſt ſuffragium, ſeu contenta in ſuffragio nō manifeſtari, aliud ipſummet ſuffragium ſchedulæ ſecretum eſſe; ſuffragium ſchedulæ in ſe, & materialiter loquendo ſecretum remanet, etiamſi ſuffragator manifeſtet contenta in ſchedula; nam per huiuſmodi manifeſtationem nihil additur, vel detrahitur ſuffragio ſchedulæ, & Summus Pontifex non abſolutè, & ſimpliciter irritauit quamlibet electionem factam per ſuffragia non ſecreta, ſed eam quæ fit per ſuffragia ſchedularum non ſecreta, vbi notanda ſunt illa verba *ſchedularum non ſecreta*, ita Garzias *de benef. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 196. vbi in ſimili adducit declarationem ſacræ Congregationis.

Tertiò ſequitur validam eſſe electionem, etiamſi contentum in ſuffragio reuelatum fuerit conuento ſigno, ſeu nota aliqua ex conuentione ſuperaddita, ſeu contraſigno; quamuis enim reuelans grauiter peccet, & excommunicatione puniatur in bulla Gregor. XV. nihilominus electio valida eſt, quia ſuffragium ſchedulæ adhuc ſecretum eſt.

8 Addunt Nauar. *conſil.* 9. *de elect.* Rodriquez *tom.* 2. *q.* 51. *art.* 9. & Sopran. *lib.* 4. *cap.* 8. *quæſt.* 2. *&* 3. Miranda *q.* 23. *art.* 29. electionem validam eſſe, etiamſi ſuffragium aliis Cardinali-

bus

bus demonſtratum ſit, antequam clauderetur; electio enim adhuc dicitur facta per ſuffragia ſchedularum ſecreta, id eſt clauſa, & obſignata, non verò aperta, publica, & patentia. Hæc opinio probabilis eſt, quamuis oppoſita non careat probabilitate; tum quia ſuffragium demonſtratum pluribus effectum eſt publicum, nec per occluſionem, & ſigillum ſuperadditum publicitatem amittit; tum quia aliud eſt electionem fieri per ſuffragia clauſa, aliud per ſecreta; præfata electio diceretur facta per ſuffragia clauſa, non per ſecreta, ita Garzias *de beneficijs p.5.cap.4.num.*193.

9 Quartò ſequitur, validã eſſe electionem, ſi nonnulli ſuffragia aperta, & non obſignata tulerunt, ſed is, cui data fuerũt ſuffragia aperta, electus non fuit, ſed alius. Ratio eſt, tum quia electio iſtius facta eſt per ſuffragia ſecreta, cùm ſuffragium illud apertum, non ad electionem *iſ*tius, ſed alterius pertineret; tum quia quemadmodum vt electio vitietur ob ſimoniam, opus eſt vt ſimonia influat in electionem; ita vt electio vitietur ob ſuffragia aperta, & non ſecreta, opus eſt, vt ſuffragia aperta influant in electionem; alioquin electio non dicitur facta per ſuffragia non ſecreta, ita Nauar. & Sopran. *locis ſtatim citandis*; Miranda *in Manuali tom.2.q.23.art.*19.

10 Roga

10 Rogabis vtrum electio vitietur, ob duo, vel tria ſuffragia aperta, ſeu non ſecreta; Nauar.*tom.1.conſ.9.num.3.de electione*,Rodriquez *quæſt.regular.tom.2.quæſt.51.art.9*.Miran.*tom.2. quæſt.23.art.19.* Sopran.*quæſt.1.& ſequentibus.* & alij in ſimili loquentes de electione Regularium facienda per ſecreta ſuffragia, iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini *ſeſſ.25. c.6. de regular.* aſſerunt electionem non vitiari, & ſubuerti, etiamſi vnus, vel duo ſuffragium apertum, & non obſignatum ferant, niſi hoc publicè conſtaret, & permitteretur à Capitulo. Ratio ipſorum eſt, primò, quia factum vnius aut plurium, toti Capitulo, ſeu Collegio nocere non debet; ſecundò, quia alioquin in vnius, vel alterius poteſtate poſitum eſſet quamcunque Romani Pontificis electionem turbare; quiſque enim poſſet ſuffragium apertum ferre, & ſecuta electione alicuius, qui ſibi non probatur, opponere vitium ſuffragij non ſecreti. Tertiò, quia illud vitium irritam reddit electionem, quòd culpa electi committitur, hoc autem vitium non committitur culpa electi, cùm ipſe inſcius ſit talis vitij, vt ſuppono, nullum enim vitium imputari poteſt culpæ illius, qui præfatum vitium ignorabat: peccatum enim non eſt, niſi ſit voluntarium: voluntarium autem eſſe non poteſt, vbi deficit cognitio.

Hinc

Hinc præfati Doctores inferunt præfatam electionem validam eſſe, niſi fortè toti Collegio conſtet, de ſuffragio aperto. Tunc dicitur aliquid conſtare toti Collegio, ſeu notum eſſe toti Collegio, ſeu fieri Collegio vidente, aut conſentiente, ſeu collegialiter, dum omnes hoc ſciunt, & præterea ſciunt hoc ſciri ab aliis; quamobrem, ſi omnes quidem aliquid ſciant, ſed neſciant idem ab aliis ſcire, non dicitur ſciri collegialiter, ſed potius ſingulariter; conſequenter illud dicitur ſecretum toti Collegio, ſicut notorium illud dicitur, non quod centum, mille, & plures ſciunt, ſi ſingulariter ſciunt; ſed quod quis ita ſcit, vt ſciat etiam ab aliis ſciri.

Sed mihi reſpondendum videtur, cum diſtinctione, vel is qui electus fuit, habuit ſufficientem numerum ſuffragiorum, præter illa aperta, vel non habuit: ſi habuit ſufficientem numerum ſuffragiorum, præter illa aperta, probabile eſt electionem validam eſſe, quia dicitur facta per ſecreta ſchedularum ſuffragia; aperta enim ſuperflua ſunt, vt ſuppono, nec electioni aliorum obeſſe debent; ſi verò non habuit numerum ſufficientem, ſed ſuffragia aperta numerum ſufficientem cum aliis conſtituebant, exiſtimo electionem inualidam eſſe, quia dicitur aliter facta, quàm per ſecreta

ſuffra

ſuffragia ; facta enim fuit non ſolum per ſuffragia ſecreta, verum etiam per non ſecreta, etiamſi forte Capitulum capitulariter ignoraret ; ignorantia enim Capituli non efficit, vt ſuffragia ſchedularum aperta, ſecreta ſint; ita Garzias *de benefic. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 184. *&* 193.

Ad primam rationem in contrarium. Reſpondeo primò, vitium vnius, vel plurium non nocere toti Capitulo, ita vt totum Capitulum puniri debeat, ſed ſolum ipſimet delinquentes. Reſpondeo ſecundò vitium vnius, vel plurium in præfato caſu non nocere toti Capitulo, vel Collegio, ſed non prodeſſe, quia ipſorum ſuffragium non ſufficit ad electionẽ.

Ad ſecundam reſpondeo, cuilibet competere ius turbandi electionem, quæ legitimè facta non fuit, præſertim ſi electio nondum completa fuit ; completa verò, & abſoluta electione, credendum non eſt, præſertim alleganti propriam turpitudinem, vt ſuprà dixi, cum Baldo, & aliis *cap. inter dilectos de donat.* & *l. mercenale m, C. de condit. ob turp. cauſ.*

Ad tertiam reſpondeo, electionem aliquando irritari, non ſolum ob culpam electi, verum etiam ob defectum formæ ſubſtantialis, ſine culpa electi contingentem.

11 Quarta concluſio eſt, vt nullus ſeipſum eligat.

eligat. Ratio eſt primò, quia Gregorius X. *in* §. *numerum*, & *in* §. *quod ſi electio*, decernit neminem poſſe ſibi ſuffragium dare, & huiuſmodi ſuffragium computandum non eſſe in duabus ex tribus partibus Cardinalium in Conclaui præſentium requiſitis, quamuis ipſemet electus computandus ſit in numero Cardinalium, conſequenter ſi ſexaginta Cardinales computato electo in Conclaui exiſtant, is qui obtinuit quadraginta ſuffragia; cenſetur legitimè electus, modò ſibi ſuum ſuffragium non dederit, alioquin non eſt legitimè electus defectu debiti numeri; ſuffragium enim proprium non prodeſt; ob id in præfato caſu, in quo quis habuit quadraginta ſuffragia, aperiendum eſt ſuffragium electi, vt cognoſcatur an ipſe ſibi ſuffragatus ſit.

Secundò, quia nemo ſibi ſumere debet honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron *ad Hebr.* 5.

Tertiò, quia nemo debet oriri à ſe ipſo, *cap. in Scripturis* 8. *quæſt.* 1.

Quartò, quia ſuffragiis confertur poteſtas, & iuriſdictio; ſed nullus poteſt ſibi iuriſdictionem dare; ergo neque poteſt ſibi ſuffragium dare, ſeu eligere: minor probatur, quia inter dantem, & acceptantem, neceſſaria eſt diſtinctio, *l.* 1 *ff. de auctor. tutorum*, *& cap. finali, de conſtitut.*

*ſtitut.* nec vllus poteſt ſeipſum producere, electus autem ad aliquam dignitatem, cenſetur moraliter, & ciuiliter productus, quoad illam dignitatem ad quam electus eſt: ex quo licet inferre ſuffragium, quo quis ante Gregorianam conſtitutionem ſe ipſum eligebat, non profuiſſe, nec computatum fuiſſe in numero ſuffragiorum, ſicut neque modo computatur, licet in numero eligentium computetur nunc perſona ipſa quæ ſe ipſam eligit, aliàs verò non computabatur, & ob id ipſius ſuffragium non proderat poſitiuè, ſed negatiuè, quatenus eligens ſeipſum, non computabatur in numero eligentium, ſícque minor ſuffragiorum numerus ad electionem ſufficiebat, ita Romanus *conſil.*227. Gondislaus Villadiego *de orig. & poteſt. Cardin. quæſt.* 5. *num.*24. Panormit. & alij, quos citat & ſequitur Gambara *de poteſt. legati, lib.*9. *num.*140. Nauarr. *lib.*1. *conſil.*6. *num.*4. *de elect.* Miranda *in Manuali tom.* 2. *quæſt.* 23. *art.* 15. Albanus *quæſt.*18. *de Cardinalibus.* Azorius 2. *part. lib.*4. *cap.* 5. *quæſito* 8. Emanuel Rodriquez *tom.*2. *quæſt. regular. quæſt.*53. *art.*12. *ſub finem.* Sopran. *in tract. de elect. Pontificis, lib.*4. *cap.*8. *quæſt.*5. contra Bartholomeum Soccinum aſſerentem abſolutè electionem ſui valere, & votum pro ſe ipſo in electione computandum eſſe, &

contra Bart. *l. ſi conſul. ff. de adopt.* exiſtimantem aliquem poſſe ſeipſum eligere, dum facultas eligendi pluribus commiſſa eſt, non verò quando vni tantum eſt demandata, *l. ſi mandauero, §. ſi tibi. ff. mandato*; quæ ſententia probabilis mihi videtur præciſa Gregorij XV. conſtitutione. Ratio eſt, quia dum facultas eligendi pluribus commiſſa fuit electio fit à communitate, à qua ſingulares perſonæ ſeorſim ſumptæ inadæquatè diſtinguuntur; & hæc diſtinctio ſufficit ad collationem dignitatis, & iuxta iſtam diſtinctionem, facilè ſolui poſſent rationes aliorum DD. præciſa illa, quæ ex Gregorij Bulla deſumitur, & eſt præcipuum quartæ conditionis fundamentum.

---

## PVNCTVM II.

### De electione per compromiſſum.

*SVMMARIVM.*

1 *Compromiſſum de conſenſu omnium Cardinalium fieri debet.*

2 *Electio per compromiſſum, valida non videtur, niſi Cardinales compromittentes conſentiant,*

*ſentiant, non ſolum in compromiſſum, verum etiam in ipſos compromiſſarios.*

3 *Compromiſſum qua forma ineundum ſit.*

4 *Taciturnitas an ſufficiat ad compromiſſum.*

5 *Compromiſſarij in electione Pontificis plures eſſe debent.*

6 *Compromiſſarij quot eſſe poßint.*

7 *Compromiſſarij qua forma inſtituendi ſint.*

8 *Compromiſſarij in electione Papæ debent eſſe Cardinales.*

9 *Compromittere nemo poteſt in ſeipſum.*

10 *Compromiſſarius ab aliis eligi poteſt.*

11 *Compromiſſarij debent eligere Papam in Conclaui clauſo.*

12 *Compromiſſarij ſeruare debent formam ſibi à Cardinalibus compromittentibus præſcriptam.*

13 *Electio minus idonei facta à compromiſſariis, an valida ſit.*

## VNICA PROPOSITIO.

1 SEx conditiones in electione Summi Pontificis per compromiſſum ſeruandæ ſunt.

Prima eſt, vt omnes & ſinguli Cardinales præſentes conſentiant, vt colligitur; tum *ex cap. in cauſis, de electione,* & *ex cap. quia propter, de electione*; tum *ex conſtitutione Gregorij XV.* ibi,

*præterquam ſi omnes,& ſinguli Cardinales ſimiliter in Conclaui præſentes, nemine diſſentiente, aliquibus ex eorundem Collegio Cardinalium committerent eligendi poteſtatem, qui vice omnium Catholicæ Eccleſiæ prouiderent.* Ratio autem, qua Gregorius XV. adductus videtur ad hoc ſtatuendum, eſt, tum quia Compromiſſarius eligit vice omnium; ergo par eſt, vt conſenſum omnium obtinuerit; tum quia Cardinales conſtituendo Compromiſſarium, in ipſum ius ſuum circa electionem transferunt; ergo par eſt, vt Compromiſſarij electi fuerint ab omnibus, & ſingulis; nam quod omnes tangit ab omnibus approbari debet *de reg. iuris, in 6.*

Verum ſi rei naturam ſpectemus, neceſſarius non eſt omnium conſenſus in compromiſſarium, conſequenter Summi Pontificis conſtitutione decerni potuiſſet, vt compromiſſum validum cenſeatur, accedente ſolum maioris partis Collegij conſenſu; nam quod à maiori parte Capituli, Collegij, vel Vniuerſitatis fit à toto Capitulo, Collegio, vt Vniuerſitate factum cenſetur.

2 Sed modò dubium eſt, primò vtrum omnes Cardinales conſentire debeant, in ipſoſmet Compromiſſarios; an potius ſufficiat, vt conſentiant in Compromiſſum faciendum, ſeu in forma compromiſſi ſeruandi à Compromiſſa

promiſſariis in electione Summi Pontificis. Albanus de Cardinalibus *quæſt.* 21. Azorius 2. *p. lib.* 4. *cap.* 2. *quæſito* 2. Sopranus præceptor meus *in manuſcriptis, de electione Papæ, lib.* 3. *cap.* 23. exiſtimant ſatis eſſe, vt Cardinales omnes conſentiant in ipſum compromiſſum conſtituendum, ſeu in forma electionis per Compromiſſum faciendæ; non autem opus eſſe conſenſu omnium, & ſingulorum in ipſoſmet Compromiſſarios. Ratio eſt quia, quæ in vnam intentionem, ſeu finem inducta ſunt, contrarium effectum operari non debent, *l. qui hominum, ff. de ſolut. l. legata inutilibus, ff. de adimendis legatis*, & *cap. cum dilectus de condit.* ſed iſta conſtitutio edita fuit, vt electio Summi Pontificis faciliùs, & celeriùs fiat; faciliùs autem, & celeriùs fieri non poſſet, ſi omnium Cardinalium conſenſus in ipſóſmet Compromiſſarios requireretur, ſi enim maior pars Cardinalium conuenire non poteſt in certum Pontificem eligendum, multò minus credendum eſt, omnes & ſingulos conſenſuros in vnum, vel plures Compromiſſarios deſignandos.

Ego verò arbitror requiri conſenſum omnium, & ſingulorum, etiam in ipſoſmet Compromiſſarios. Ratio eſt, tum quia Gregorius XV. ſtatuit, vt in electione facienda per com-

promiſſum, Cardinales omnes, nemine diſſentiente, committant poteſtatem eligendi aliquibus Cardinalibus eiuſdem Collegij, ſed tunc datur alicui facultas eligendi, dum adeſt conſenſus in ipſum cui facultas datur; ergo neceſſarius eſt conſenſus in Compromiſſarium, id eſt eum, cui facultas eligendi conceditur; tum quia Summus Pontifex requirit conſenſum omnium in compromiſſum ineundum, ibi, *Electio celebrata aliter, quàm per viam compromiſſi, nemine diſſentiente ab omnibus initi nulla ſit*, &c. Sed tunc compromiſſum initur, dum conſenſus & facultas datur ipſiſmet compromiſſariis; ergo requiritur conſenſus in ipſoſmet Compromiſſarios; tum quia Compromiſſarij eligunt immediatè Pontificem, vice omnium Cardinalium; ergo par eſt, vt immediatè omnium conſenſu conſtituantur; hæc ratio communiter affertur à Doctoribus, quamuis apud me difficultate non careat, vt patet in aliis negotiis, quæ à Procuratore Capituli à duabus Capituli partibus conſtituto peraguntur; hic enim vices omnium gerit, licet ab omnibus conſtitutus non fuerit, ſed tantum à maiori parte; tum denique quia ſic expreſsè colligitur ex Cæremoniali, *pag.* 101. *verſ. Secundus modus*, ita in ſimili Miranda *tom.* 2. *quæſt.* 23. *art.* 38.

Ad

Ad rationem in contrarium. Reſpondeo inde non ſequi conſtitutionem Gregorij ſuperfluam eſſe, ſuóque fine, ac intentione defraudari: fieri enim poteſt, vt Cardinales qui in eligenda certa in Pontificem perſona diſcordes ſunt,& diſconueniunt,concordes efficiantur in eligendis Compromiſſariis,de quorum fide, integritate, & affectu minimè dubitent.

3 Secundò dubium eſt, qua forma conſenſus in compromiſſum ineundum exhibendus ſit. Reſpondeo exhiberi poſſe ea forma, qua ipſimet Cardinales compromittentes voluerint; cùm enim in Iure definitum non fuerit, quo pacto compromiſſum ineundum ſit, relicta videtur compromittentibus facultas conſentiendi, ſeu compromittendi ea ratione qua voluerint. Quamobrem viua voce,ſeu acclamatione, ſeu ſcripto Compromiſſarios inſtituere, & enunciare poſſunt, vt bene Sopran. *loco citato,cap.*24.

4 Rogabis vtrum taciturnitas ſufficiat ad compromiſſum ineundum,vt ſi Cardinalis interrogatus an velit talem in Compromiſſarium eligi, & ipſe non abnuat, non reſpondeat, ſed omnino taceat. Reſpondeo negatiuè, tum quia taciturnitas non ſufficienter indicat conſenſum,dum agitur de renunciando

iure ſuo, tum quia compromiſſum initur conſenſu compromittentium, qui autem tacet, neque conſentire, neque diſſentire videtur *de reg. Iuris, in 6.* ita Rodriquez *quæſt. regular. tom. 2. quæſt.... art....* Miranda *in manual. tom. 2. quæſt....*

Obiicies, qui tacet conſentire videtur, *de reg. Iur. in 6.* Reſpondeo videri conſentire in iis, quæ proprium commodum, & vtilitatem reſpiciunt, non autem in iis, quæ ſibi præiudicium, & incommodum afferunt, vt in ſimili docui *de matrimonio, & de Sacramentis*, cum Sanchez, Rebello, Suarez, & aliis.

5 Secunda conditio eſt, vt plures ſint Compromiſſarij: Ratio eſt, tum quia Gregorius XV. aſſerit poteſtatem eligendi committendam eſſe aliquibus Cardinalibus, vbi notanda eſt illa particula *aliquibus*, quæ numero plurali enunciatur, & de pluribus verificatur; tum quia Summus Pontifex, ſi vno Compromiſſario, vel pluribus diſiunctiuè contentus fuiſſet, hac loquendi forma vſus fuiſſet, vni, vel pluribus; tum quia in materia dubia ſtandum eſt propriæ verborum ſignificationi, niſi aliud ex ſubiecta materia, vel ex antecedentibus, & conſequentibus, vel ex alia lege colligatur.

Contrarium ſuſtinet Sopranus *lib. 3. cap. 26.* putans ſatis eſſe, vt vnus tantum Compromiſſarius

miſſarius eligatur. Ratio eſt, tum quia verbum *aliqui*, vel *aliquibus* non neceſſariò plures requirit, ſed in vno etiam verificari poteſt, ex Gloſſa *in cap. quia propter, de electione*, tum quia, plurale aliquando pro ſingulari ponitur, propterea in Iure dicitur pluralem orationem eſſe aliquando in ſuas ſingularitates reſoluendam, ex Bartol. *in l. falſo, ff. de condit. & demonſt. & l. 3. §. 1. ff. de negot. geſtis*, & Matthæi 27. Latrones dicuntur illuſiſſe Chriſto, etiamſi vnus tantum illuſerit, vt alij Euangeliſtæ innuunt.

Ad has rationes reſpondeo, ſolutionem conſtare ex rationibus à me allatis; plurale enim non ponitur pro ſingulari, niſi ex ſubiecta materia, aut aliunde colligatur pro ſingulari vſurpari, vt tradit Cardinalis Tuſchus *tomo 2. lit. D. concl. 333. num. 1. & littera P. concl. 367.*

6 Sed modò dubium eſt, Primò, quot Compromiſſarij ſint inſtituendi. Reſpondeo, duos vel plures inſtitui poſſe, quia pluralis locutio etiam duorum numero contenta eſt, *reg. pluralis de reg. iuris in 7. l. vbi numerus, ff. de teſtibus*, cum aliis apud Euerardum *in top. legal. loco 54.*

7 Secundò dubium eſt, qua forma inſtituendi ſint Compromiſſarij. Reſpondeo, eo

modo eligendos eſſe, quo omnes, & ſinguli Cardinales compromittentes voluerint, vt dictum eſt *num.*3. Ratio eſt, quia Gregor. XV. in ſua conſtitutione non decernit modum eligendi Compromiſſarios; ergo eligi poſſunt ea ratione, & modo, qui à Cardinalibus compromittentibus approbatus fuerit; in Cæremoniali tamen Gregorij *verſ. Secundus modus, pag.*101. *& ſeqq.* aſſignatur modus, & forma qua fieri poteſt compromiſſum; præceptum tamen non imponitur ſeruandi illam Cæremonialis formam, in hac parte, vt colligitur ex illis verbis, *cuius formæ praxis poteſt eſſe huiuſmodi.*

Obiicies, Gregorius in ſua Bulla præſcribit formam eligendi Summum Pontificem; ergo eadem forma ſeruanda eſt in electione Compromiſſariorum, cùm eodem iure cenſeantur principale, & acceſſorium, *reg. acceſſorium, de reg. iuris, & l. etiam. C. de iur. dot.* Reſpondeo, negando conſequentiam; aliud enim eſt electio Pontificis, aliud Compromiſſarij, &, à diuerſis, & diſparatis non valet illatio, *l. Papinianus exuli, ff. de minoribus*, & regula *acceſſorium*, non valet, vbi militat diuerſa ratio, *ex l. ſi is, C. de prædiis minorum*, cum aliis apud Tuſchum *tom.*1. *littera A. concl.*76. *num.*36.

8 Tertia conditio eſt, vt Compromiſſarij

ſint

ſint Cardinales: ſic enim decernitur in Bulla Gregorij X V. ibi, *Aliquibus ex eorundem Collegio Cardinalium committerent eligendi poteſtatem.* Ratio autem qua videtur adductus Pontifex ad hoc conſtituendum, eſt: tum quia citiùs & faciliùs, hoc ita conſtituto, celebrari poteſt electio Summi Pontificis, quàm ſi liberè facultas eligendi extraneum conceſſa fuiſſet: Cardinales enim animo magis diſtraherentur in eligendo extraneo, quàm Collega, tum quia Cardinales iure, & poteſtate gaudent eligendi Pontificem: ergo facultas eligendi in ipſos potius, quàm in extraneos qui nullo electionis iure gaudent, compromittenda eſt; tum quia Cardinales meliùs norunt mores aliorum Cardinalium, quàm extranei; par autem eſt, vt Compromiſſum eligendi in eum fiat cui explorati, & perſpecti ſint mores Cardinales eligendi, vt bene Sopranus *loco citato, cap.* 28.

9 Quarta conditio eſt, vt nullus in ſe compromittat, aut poſt compromiſſum ſeipſum eligat. Ratio eſt, quia ex conſtitutione Gregorij X V. nemo poteſt ſibi ſuffragium ferre, imò ipſius electio irrita eſt, defectu vnius ſuffragij, ſi eius ſuffragium numerum ad electionem ſufficientem compleat; nam in Bulla Gregorij X V. dicitur, *In duabus tertiis parti-*

*bus*

*bus ſuffragium electi non numeretur, nec quiſquam ſiue ſcrutinij, ſiue ſcrutinij & acceſſus, ſiue compromiſsi via procedatur, ſeipſum eligere, ſeu ſuffragium ſibi dare nullatenus poſsit, electi tamen perſona ſi in Conclaui ſit, debeat in numerum Cardinalium computari*; & infrà, *electi ſuffragio non computato, ita vt nemo ſeipſum elegerit.*

10 Sed modò dubium eſt, vtrum Compromiſſarij poſſint vnum ex ipſis Compromiſſariis eligere. Reſpondeo affirmatiuè, niſi oppoſitum habeatur in forma Compromiſſi. Ratio eſt, tum quia ipſi non ſunt deterioris conditionis aliis; tum quia aliàs irrogari poſſet fraus, & iniuria Compromiſſario maximè idoneo, ſi ab aliquibus hoc fine Compromiſſarius conſtitueretur, ne ipſe ad Pontificatum promoueretur; tum quia ſicut deputatus ad erogendas pauperibus eleemoſynas, non priuatur iure illius eleemoſynæ, ita, &c. Huius ſententię ſunt Innocentius, Archidiaconus, Hoſtienſis, & Panormitanus *in cap. qui Epiſcopatum, 8. quæſt.* 1. Sylueſter *verb. electio 2. quæſito* 17. Rodriquez *tom. 2. quæſt.* 53. *art.* 12. Miranda *in Manuali quæſt.* 23. *art.* 40. & alii. Imò Syslueſter *quæſito* 18. & Miranda *loco citato art.* 40. *ſub finem*, putant Compromiſſarium poſſe ſibi ſuffragium ferre, vt electionem de ſe factam compleat, & perficiat. Verum hæc doctri-

na

na poſt Conſtitutiones Summorum Pontificum Gregorij XV. & Vrbani VIII. ſuſtineri non poteſt.

11 Quinta conditio eſt, vt Compromiſſarij eligant Papam in Conclaui clauſo; nam Gregorius XV. irritat electionem alibi factam, ibi, *Electio alibi quàm in Conclaui clauſo, nulla ſit*, vide ſupradicta *quæſt.3.num.1.*

12 Sexta conditio eſt, vt Compromiſſarij ſeruent in electione formam ſibi à Cardinalibus compromittentibus præſcriptam, ſi forma eis præſcripta fuit, ita Sylueſter *verb. electio 2. quæſito* 14. Miranda *tom. 2. quæſt. 23. art.* 37. Gloſſ. *in cap. ſi quando de elect. in* 6. Azorius 2. *part. lib. 4. cap. 14. quæſito* 11. Ratio eſt, tum quia Compromiſſum veluti rationem, & quaſi ſpeciem mandati habet; de ratione autem mandati eſt, vt eius forma non excedatur. *l. diligenter, ff. mandati*; tum quia ſic colligitur *ex cap. tum in iure, de electione*, ex quo textu Doctores communiter colligunt compromittentes poſſe formam Compromiſſariis præſcribere, quam Compromiſſarij ſeruare teneantur, modò aliquid illicitum non iniungatur: quamobrem hanc formam præſcribere poſſunt, vt qui plura ſuffragia tulerit electus cenſeatur; plura autem voco, vel in ordine ad ipſos Compromiſſarios eligentes, & ad ipſamet ſuffragia

fragia ſimul, vel tantum in ordine ad ipſamet ſuffragia; quapropter conuenire poſſunt, vt ſi quinque Compromiſſarij deſignati ſint, & vnus electus ſit in Papam à tribus, validè cenſeatur electus, quia plura habet ſuffragia, tam in ordine ad eligentes, quàm ad ipſa ſuffragia, item mandare poſſunt, vt ſi vnus electus ſit à duobus aliis, ſingulis ſingulos eligentibus, electus à duobus validè cenſeatur electus, quia plura tulit ſuffragia, quàm alij; melius tamen, & tutius eſt præſcribere, vt is tantum legitimè electus cẽſeatur, qui à duabus partibus electus fuerit; hoc enim pacto accommodant ſe formæ, toti Cardinalium Collegio præſcriptæ in electione Papæ. Idémque in Cæremoniali Gregorij *verſ. Secundus modus, pag.* 102. innuitur, vbi aſſignatur forma Compromiſſarij præſcribenda; caueant tamen compromittentes, ne quid illicitum imponant (nullus enim ad illicita obligatur) aut aliquid contra naturam electionis mandent, vt ſi obligent Compromiſſarios ad eligendum aliquem deſignatum ab ipſis compromittentibus; hoc enim naturæ, & rationi electionis aduerſatur; natura enim electionis poſtulat, vt vnus è pluribus liberè eligatur, ita Calderinus *conſil.* 49. Cardinalis Tuſchus *tom.* 2. *littera E. concl.* 62. *num.* 2. Miranda *loco citato.*

Obiicies

Obiicies primò, Gregorius XV. decernit Summum Pontificem aliter eligi non poſſe, quàm per ſcrutinium, quaſi per inſpirationem, & per Compromiſſum; ergo Cardinales non poſſunt aliam formam Compromiſſariis præſcribere, cùm in Summi Pontificis conſtitutione, diſpenſare nequeant. Reſpondeo Summum Pontificem electum à Compromiſſariis, ſeruata forma à compromittentibus præſcripta, cenſeri electum per compromiſſum, etiamſi ipſimet Compromiſſarij non eligant viâ ſcrutinij, vel quaſi inſpirationis, vel compromiſſi.

Obiicies ſecundò, nemo plus iuris in alium transferre poteſt, quàm ipſe habeat, ſed Cardinales compromittentes non poſſunt ſibi formam pręſcribere in eligendo Summo Pontifice; ergo nec eam præſcribere poſſunt Compromiſſariis. Reſpondeo ad maiorem propoſitionem, Cardinales compromittentes habere ius præſcribendi formam Compromiſſariis, quamuis ipſi ea forma vti fortè nequeant. Ratio eſt, quia in electione ab ipſiſmet Cardinalibus celebranda, præſcribitur forma in hac conſtitutione, non tamen præſcribitur forma celebrandi compromiſſum, aut eligendi Pontificem per Compromiſſarios neceſſariò requiſita, vt patet ex ipſo

Cære

Cæremoniali, *verſ. Hic optimum erit.*

Dixi in ſexta conditione, ſi forma eis præſcripta fuit, nam ſi compromittentes nullam formam Compromiſſariis in electione ſeruandam iniunxerunt, liberum ipſis erit eam adhibere formam, quam voluerint; cùm enim Summus Pontifex nihil in hac re peculiare præſcribat, cenſetur caſum in diſpoſitione iuris communis reliquiſſe; caſus enim in lege omiſſus relinquitur diſpoſitioni iuris communis, *l. commodiſsimè, ff. de liber. & poſthum. l. ſi verò, ff. ſoluto matrimonio, cap. cæterum de iudiciis*; conſequenter Cõpromiſſarij facere poterunt, quod ſibi à iure permittitur, propterea poterunt viua voce, aut ſcripto, aut per ſuffragia clauſa, vel aperta eligere. Optimum tamen conſilium inibunt conueniendo, quòd per quamcunque prolationem verborum, ſuum dare conſenſum non intelligunt, niſi eum in ſcriptis referant, vt in Cæremoniali dicitur, *verſ. 2. completo, pag. 102. & 103.*

13 Quæres vtrum valida ſit electio minus idonei facta à Compromiſſariis. Ratio dubitandi ad probandum non valere, eſt, quia facultas data Compromiſſariis ad eligendum, intelligitur de idoneo, nec Electores præſumuntur velle facultatem ad actum illicitum concedere; ita in ſimili, Sylueſter *verb. electio.*

*2. quæ*

2.*quæſito* 13. Miranda *tom.* 2. *quæſt.*23. *art.*36. & alij.

Sed mihi diſtinguendum videtur, vel Cardinales facultatem eligendi conceſſerunt Compromiſſariis ſub conditione eligendi dignum, vel nullam conditionem adiecerunt; ſi facultatem ſub dicta conditione conceſſerunt inualida eſt electio indigni à Compromiſſariis facta, quia Compromiſſarius non poteſt excedere formam compromiſſi, ſi verò nullam conditionem adiecerunt, cenſeo electionem validam eſſe, quia contra Papam legitimè electum nihil obiici poteſt, quod non ſit contra ſubſtantiam electionis, vel quod non ſit in Iure expreſſum.

Ex quo patet quid dicendum ſit ad illam quæſtionem, qua quæritur, quid ſentiendum ſit dum duo Compromiſſarij eligunt indignum, vnus verò idoneum & dignum; electio enim indigni, præfertur electioni digni, modò nihil ſubſtantiale deſit, & compromiſſum factum ſit ſub hac forma, vt is electus cenſeatur qui plura habuerit ſuffragia; vide Sylueſtrum *verbo electio*, contra Panormitanum *in capite cum in iure de electione*, & Mirandam *tom.* 2. *quæſt.*23. *art.*41.

L PVN

# PVNCTVM III.

## De electione quæ ſit quaſi per inſpirationem.

### SVMMARIVM.

1 *Electio per inſpirationem quotuplex ſit.*

2 *Electio per inſpirationem fieri debet in Conclaui clauſo.*

3 *Electio facta in ſacello, ſeu Capella clauſa, an valida ſit?*

4 *Electio fieri poteſt in quolibet loco Conclauis.*

5 *Electio facienda eſt poſt decem dies à die obitus.*

6 *Electio per inſpirationem fieri debet conſenſu omnium.*

7.8 *Electio per inſpirationem an valida ſit, ſi tempore complendæ electionis aliquis Cardinalis ſenſibus deſtituatur, ita vt loqui non valeat, aut ſuum conſenſum ore, vel ſcripto portare.*

9 *Electio per inſpirationem valida eſt, etiamſi aliqui priùs diſſenſerant, qui poſtmodum conſentiant.*

10 *Electio per inſpirationem facienda eſt, cum verbo*

*verbo* eligo *ore, vel ſcripto prolato.*

11 *Electio per inſpirationem fieri debet, abſque præuio tractatu de ſpeciali perſona.*

12 *Tractatus nomine quid intelligatur.*

13 *Tractatus quotuplex ſit.*

14 *Tractatus quilibet in electione per inſpirationem prohibetur.*

15 *Tractatus conſultiuus, & informatiuus, an neceſſariò præmittendus ſit in electione, quaſi per inſpirationem.*

16 *Tractatus deciſiuus quid requirat, vt irritam reddat electionem.*

17 *Electio quandónam inchoata cenſeatur.*

18 *Electio quaſi per inſpirationem facta præuio tractatu, an valida ſit, ſi electus tractatum penitùs ignorabat?*

1 PRæmittendum eſt electionem *per inſpirationem*, duplicem eſſe, alia dicitur ſimpliciter *per inſpirationem*, alia *quaſi per inſpirationem.* Electio *per inſpirationem* eſt illa, quæ fit inſtinctu Spiritus ſancti, cum euidenti aliquo miraculo, & ſigno præſentiæ eiuſdem Spiritus ſancti, vt contigit in electione Nicolai, Ambroſij, & aliorum, de qua ſermo eſt *in cap. ſtatuimus, §. his omnibus* 61. *distinct.* Electio *quaſi per inſpirationem*, fit quidem impulſu Spiritus ſancti, ſed abſque viſibili ſigno, &

miraculo teſtante vim,& præſentiam Spiritus ſancti, vt de Gregorio III. anno 731. Leone III. anno 795. Paſchali,& aliis traditur à Doctoribus. Gregorius XV. *in hac Bulla*, non præſcribit formam electionis, quæ fit *ſimpliciter per inſpirationem*. Ratio eſt, tum quia, quæ fiunt per inſpirationem Spiritus ſancti, via extraordinaria fiunt, quæ autem via extraordinaria fiunt, humanis legibus non ſubiiciuntur, *cap. duæ ſunt* 19. *quæſt*. 2. & *cap. niſi cum pridem, de renunciat*. Tum quia, vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Tum quia *Iudith*. 8. reprehenditur populus, quòd legem Spiritui ſancto præſcripſerit, determinando tantum, & tale tempus intra quod Oloferni dederentur, niſi auxilium,& ſubſidium conferretur.

Agit ergo ſolum Pontifex de electione *quaſi per inſpirationem*, hæc enim cùm via ordinaria fiat, ſubiicitur humanis legibus, quæ ipſius Spiritus ſancti auxilio conditæ fuerunt, vt ſuprà docui *de loco in quo facienda eſt electio, quæſt*. 3. *num*. 1. *verſ. Obiicies primò*. non tamen hinc ſequitur Spiritum ſanctum humanis legibus ſubiici, ſed eos qui ſpiritus ſancti impulſu via ordinaria aliquid facturi ſunt: hoc poſito explicandum eſt quænam in electione *quaſi per inſpirationem*, ſeruanda ſint.

VNICA

## VNICA PROPOSITIO.

2 AD validam Summi Pontificis electionem faciendam *quaſi per inſpirationem*, quinque conditiones requiruntur.

Prima eſt, vt fiat in Conclaui, vt ſuperiùs probatum eſt, *quæſt.* 3.

3 Obſeruant tamen aliqui Doctores electionem cenſeri factam in Conclaui, etiamſi non fiat in loco ad hoc præparato, ſed in ſacello, ſacrario, ſeu capella clauſa, quamobrem ſi omnes omnino Cardinales diuino Spiritu tacti, & peracto iam ſacro Spiritus ſancti, quod poſt nonum diem ab obitu Pontificis peragitur, conueniant in Capellam, ſeu Sacrarium, vel alium locum, eóque clauſo, & excluſis iis, qui ad electionem conuenire non debent, electionem celebrent nemine diſſentiente, electio valida eſt, cùm cenſeatur facta in Conclaui; nomen enim Conclauis genericum eſt, & extenditur ad quemlibet locum in ædibus qui clauditur claui communi iis, qui ad illum locum conuenire debent, cauſa illius negotij quod tunc temporis peragitur; quamuis fortè locus ille ad alia officia deputatus eſſet, & iuxta naturam, & rationem officij, ad quod deputatus erat, ſpeciale nomen ſortiretur, E. S. Capellæ; Sacrarij, Capituli, &c.

4 Rogabis, vtrum electio, *quaſi per inſpirationem*, fieri poſſit quolibet in loco Conclauis. Reſpondeo affirmatiuè, modò Conclaue ſit clauſum, & adſint reliquæ conditiones proximè enumerandæ. Ratio eſt, quia ad valorem huiuſmodi electionis requiritur ſolùm, vt fiat in Conclaui clauſo omnibus conſentientibus cum verbo *eligo*, voce, vel ſcripto prolato.

5 Secunda conditio eſt, vt electio fiat poſt decem dies. Ratio eſt, quia electio, *quaſi per inſpirationem*, facienda eſt de conſenſu omnium habentium ius eligendi, nemine diſſentiente, ſed ſi fieret infrà decem dies non fieret de conſenſu omnium habentium ius, cùm Cardinales infrà decem dies habeant ius eligendi, nec omnes conuenerint vt ſuppono, vide ſupradicta *quæſt*.4.

6 Tertia conditio eſt, vt electio fiat de conſenſu omnium, nullo prorſus diſcrepante, ſic enim decernitur in Bulla Gregorij *in* §. *matura*, & §. *quod ſi electio*. Ratio cur omnium conſenſus in huiuſmodi electione præſcribatur, eſt, tum quia in aliis electionibus quæ fiunt *per inſpirationem* requiritur conſenſus omnium, nullo diſſentiente, *cap. quia propter, de elect*. & ibi Ioan. And. & alij; tum quia conſenſus omnium, eſt ratio cognoſcendi electionem factam fuiſſe immediatè inſtinctu Spiri-

tus

tus ſancti ; ergo iure meritò ad electionem *per* huiuſmodi *inſpirationem* conſenſus omnium exigitur, quicquid nonnulli apud Tuſc. *tom.2.lit.E.concl.74.n.9.* in oppoſitum ſentiant.

Obiicies primò, multa alia decreta, Concilia, & electiones fiunt inſtinctu Spiritus ſancti, & nihilominus valida ſunt, etiamſi conſenſus omnium non intercedat: ergo, &c. Reſpondeo electionem inſtinctu Spiritus ſancti dupliciter fieri poſſe. Primò immediatè, ſecundò mediatè, media ſcilicet conſultatione, tractatu, aut alia hominis induſtria; electio quæ immediatè fit impulſu Spiritus ſancti conſenſum omnium requirit, quia quæ à Spiritu ſancto immediatè fiunt, eodem modo fiunt in omnibus, in quibus eſt eadem ratio actionis, qua enim ratione Spiritus ſanctus vnum mouet, omnes mouet, & omnes vnius animi facit voluntates, *cap.ſchiſma 24.quæſt.1.* & *cap.de illis 24. quæſt.4.* Electio verò quæ ſolum mediatè fit à Spiritu ſancto, conſenſum omnium non exigit, quia Deus eam liberæ hominum voluntati relinquit, prout propria cuiuſque ratio dictauerit.

Obiicies ſecundò, iuri naturæ aduerſatur, vt vnus omnibus præualeat, ſi autem in electione Pontificis requireretur conſenſus omnium, & ſingulorum, ſequeretur vnum diſſen-

tientem præualere omnibus, cùm ipſe ſuo diſſenſu electionem impediat, aliis eam deſiderantibus. Reſpondeo iuri naturæ aduerſari, vt vnus omnibus præualeat in agendo, ſeu in actione perfectiua, non verò in impediendo, ſeu in actione impeditiua, vt communiter fatentur Iuriſperiti, & patet tum in teſtamento, vel in matrimonio, in quo defectus vnius teſtis valorem contractus impedit, tum in venditione alicuius rei indiuiduæ, communis pluribus, in qua fieri poteſt, vt diſſenſus vnius plurium conſenſui præponderet, & præferatur; nam in re communi potior eſt conditio prohibentis, *cap. in re communi. de reg. Iuris in 6. l. per fundum, ff. de ſeruit. ruſt. præd. & l. Sabinus, ff. de communi diuidundo.* Idem militat in electione per ſcrutinium, in qua conſenſus duarum partium requiritur, ita vt ſi vnus deſit, electio vitietur, & non ſubſiſtat, ita Hieronymus Alban. *de Cardinal. quæſt.* 21. Sopran. præceptor meus *in manuſcriptis, de electione Summi Pontificis, lib.* 3. *cap.* 14.

Obiicies tertiò in electione Summi Pontificis magna celeritate vtendum eſt, *cap. vbi periculum, de electione*; nam Eccleſia Sede vacante in magno diſcrimine verſatur; ſed electio celeriter fieri non ſolet dum conſenſus omnium exigitur; ergo ritè conſultum non videtur

tur

tur electioni Pontificis, & vniuerſali Eccleſiæ commodo, ſtatuendo electionem de conſenſu omnium celebrari. Reſpondeo primò, Electionem *quaſi per inſpirationem* non obeſſe celeritati, quia dum vult Spiritus ſanctus immediatè ad electionem promouere, & compellere, citò, & celeriter mouet, & impellit provt vult. Reſpondeo ſecundò, non deſiderari, nec deeſſe alios modos, & rationes electionis, quibus electio celeriter fieri poſſit Summus enim Pontifex non ſolum præſcribit electionem fieri, *quaſi pro inſpirationem* verum etiam per ſcrutinium, vel compromiſſum. Reſpondeo tertiò, priùs conſulendum fuiſſe legitimæ electioni, ne per impreſſionem, aut alia turpi ratione fieret, quàm celeritati; matres enim quæ filios in lucem celeriter, & ante tempus edunt, abortum facere conſueuerunt, & tumulos potius, quàm mundum replent, vt in ſimili D. Bernardus.

7 Sed modò dubium eſt primò, vtrum valida ſit electio facta, dum aliqui Cardinales tempore complendæ electionis, *quaſi per inſpirationem* loqui non poſſunt, ſenſibúſque ita deſtituuntur, vt ſuum conſenſum ore, vel ſcripto præſtare nequeant. Reſpondeo electionem validam eſſe, ſi à Medicis, ſeu peritis credantur diutius eo morbo detinendi, &

alij omnes Cardinales conſentiant. Ratio eſt, quia iſti cenſentur abſentes, is enim abſens in Iure exiſtimatur, qui ſentire non poteſt quid præſentes faciant, Bald.*in l.quicunque,C.de ſeruis fugitiuis*; ſi verò non credantur diutiùs eo morbo detinendi, ſuſtinenda eſt electio. Ratio eſt,quia non cenſentur abeſſe,cùm ibi materialiter præſentes ſint corpore, & animus corpori breui conciliandus, & reddendus ſit, quòd enim parum diſtat,nihil diſtare videtur, *l.diuortio,§.ſi fundum, ff.ſoluto matrimonio*, exiſtimo tamen huiuſmodi electionem non diutiùs ſuſtinendam eſſe,ſed breui, exempli gratia,ſpatio vnius horæ. Ratio eſt, quia cùm ſingulis diebus duo ſcrutinia peragenda ſint,quæ non modicum temporis ſpatium requirunt, exiſtimo electionem, *quaſi per inſpirationem*, non adeò ſuſtinendam eſſe, vt impediat id quod ipſis Cardinalibus ſtricto præcepto iniungitur.

Ex quo ſequitur electionem, *quaſi per inſpirationem*, quæ dilata aliquantulum fuerat ob Cardinalis deliquiũ, ſed poſtmodum peracta,& abſoluta,perturbari non poſſe ab eodẽ Cardinali,poſtquam ſibi redditus fuerit,ſecùs ſi Cardinalis ad ſe redeat, antequam electio abſoluta ſit, tunc enim iure gaudet electionis, *cap.vbi periculum,§.ſi verò,de electione*,vbi Pontifex

tifex decernit, vt ſi aliqui re integra, id eſt, nondum electo Summo Pontifice, in eodem negotio, in eo ſtatu, in quo ipſum inuenerint, admittantur; ob id etiam Cardinalis qui tempore ſcrutinij animi deliquio laborabat, poterit in acceſſu ſuffragium dare, ſi tunc temporis ad ſe rediit.

8 Maior difficultas eſt, quid faciendum ſit dum Cardinalis ita obmutuit, aut ita morbo correptus fuit, vt neque loqui, neque ſcribere valeat. Reſpondeo in electione per ſcrutinium ſeruanda eſſe, quæ Pontifex tunc temporis ſeruanda præſcribit, de quibus *ſuprà*; in electione verò, *quaſi per inſpirationem*, debet alium ſubſtituere, qui conſenſum ipſius decumbentis prodat ſcripto, aut voce per verbum *eligo*, Cùm enim Pontifex nihil in hoc caſu ſtatuat, ſtandum eſt iuri communi, iure autem communi ea facere cenſemus, quæ auctoritate noſtra, & nobis mandantibus fiunt, *l.2. C.de iureiuran.* conſtare tamen debet Cardinalibus de mandato, & voluntate conſentientis, vt benè Sopran. *loco citato quæſt.*15. Rodriquez *tom. 2. quæſtionum regul. quæſt... art...* Miranda *in manuali tom.2. quæſt.*23*.art.*7. Syl‐ueſter *verbo electio* 1.*quæſito* 7.

9 Secundò, dubium eſt, vtrum electio *per inſpirationem* valida ſit, ſi aliqui diſſenſerunt,

&

& poſtea conſenſum præſtiterunt. Reſpondeo affirmatiuè, quia prior diſſenſus extinctus eſt, & adhuc verum eſt hunc electum fuiſſe de conſenſu omnium; tum quia ſicut ex oppoſito electio inualida eſt, dum quis conſenſit, & poſtea conſenſum reuocauit ante completam electionem (electio enim non dicitur facta nemine diſſentiente) ita electio valida eſt, dum quis diſſenſit, & poſtmodum ante completam nominationem, ſeu electionem conſenſit, ita Hoſtienſis *tit. de elect. §.qualiter ſit facienda.* Baiſ.*direct.3.part.cap.*16. Sopran.*lib.3.cap.*21.*quæſt.*11.

Ex quo patet electionem, *quaſi per inſpirationem* non vitiari, & ſubuerti ob diſſenſiones, & diuerſas ſententias, quæ tempore electionis interceſſerant, ſed poſtmodum omnes conquieuerunt, & in electionem vnius conſenſerunt. Ratio eſt, quia adhuc verum eſt dicere huiuſmodi electionem factam fuiſſe nemine diſſentiente, cùm in concluſionem electionis omnes conuenerint, quamuis in electione in fieri non omnes concordes eſſent, vt benè Sopran.*quæſt.*12.

Idem ſentiendum eſt, dum quis ſemel vno iam nominato, alium nominat ante completam electionem; huiuſmodi enim electio valida eſt, quia fit nemine diſſentiente in Concla-

ui

ui clauſo, & ſine tractatu de ſpeciali perſona, vt ſuppono; imò laudabiliter agit, qui iuſta de cauſa alium nominat, relicto primo, quem nominauerat; Sapientis enim, vel ſaltem ſapientiæ eſt, iuſta de cauſa mutare conſilium, præſertim ſi in melius mutetur, quamobrem qui ſemel indignum nominauit ſciens, aut neſciens, ſed poſtmodum aduertens indignum eſſe, non ſolum ex honeſtate, verum etiam ex officio, tenetur ſuffragium reuocare, dum poteſt, & dum cognoſcit ex huiuſmodi electione damnum Eccleſiæ ſequi; item qui vnum nominauit, & poſtea aduertit alium æque dignum, vel digniorem ab aliis omnibus probari, poteſt in eum qui ab aliis probatur conſentire, quia iuſtam habet mutandi ſuffragij cauſam, cùm Eccleſiæ negotium vtiliter agatur, digniorem eligendo, & electionem quamprimum iuſtè, & legitimè fieri poteſt abſoluendo, vt benè Sopran. *loco citato quæſt.* 13. *&* 14.

Obiicies, quòd ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt, *cap. quod ſemel de regul. Iuris, in* 6. Præterea facultas ad aliquid faciendum ceſſat primo actu, *l. bouem.* §. *hoc ſermone, ff. de verborum ſignificatione.* Item qui ſemel in Pontificem nominatus, ius acquiſiuit, conſequenter illi fit iniuria alium nominando,

nando, præſertim cùm turpius ſit eiici, quàm non admitti, *cap.quemadmodum*, *§.alioquin de iureiurando*, Gloſſa *cap.per veſtras de donat.inter vir.* Reſpondeo hæc valere ſolùm dum electio ſemel completa fuit, ſecùs ſi electio adhuc erat in fieri, nec ob id fit iniuria ſemel nominato, cùm eligens vtatur iure ſuo, quo vti poteſt quamdiu electio completa non eſt, nec ob id dicitur nominatum eiicere, ſed dimittere, ſeu deſerere, vt pluribus docet Sopran. *quæſt.*13. & 14.

10 Quarta conditio eſt, vt conſenſu præſtetur ſeruata præſcripta forma; forma autem quæ præſcribitur in Bulla Gregorij, eſt, vt conſenſus exhibeatur cum verbo *eligo* expreſſo ore, vel ſcripto, ſi ore exprimi nequeat. Ratio huius diſpoſitionis eſt, tum quia, verba ſunt animi notæ, & nullum certius eſt noſtræ mentis ſignum, quàm verba, vt communiter DD. fatentur, tum quia vitatur confuſio, & perturbatio, quæ in exprimendo alia ratione conſenſu ſequi poſſet; tum quia ſicut conueniunt in electione perſonæ, ita æquum eſt, vt in forma electionis non diſſentiant; tum quia conſenſu exprimi ſolet, aliquando nutu capitis, aliquando pedibus, in ſententiam eundo alterius, ſeu accedendo ad eum quem eligit, aliquando acclamatione, aliquando manuum

exten

extenſione, ſeu eleuatione, ſeu comploſione inter ſe, vel ad aliud, aliquando calculis, ſeu fabis, de qua re Cardinalis Bellarminus *de Cler.cap.9.& 16.* Congruentior autem modus fit per verba, ergo hic iure merito præceptus fuit. Ratio verò qua Gregorius XV. adductus videtur, vt electio *quaſi per inſpirationem* fiat, adhibito verbo *eligo*, eſt, quia huiuſmodi verbum eſt maximè expreſſiuum conſenſus illius rei, de qua agitur, nullúmque reperiri poteſt quod congruentius, facilius, & expeditius, videatur, vide Mirandam *in Manuali tom.2.quæſt.23. art.* 17. Sylueſtrum *verbo electio* 1.*quæſito* 3.Rodriquez *tomo* 2.*quæſt*....

11 Quinta conditio eſt, vt huiuſmodi electio fiat, abſque vllo præcedente tractatu de ſpeciali perſona; nam in Bulla Gregoriana dicitur, *Nullo præcedente de ſpeciali perſona tractatu:* & infrà, *Nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu.*

12 Sed modò dubium eſt, Primò, quid intelligatur nomine tractatus. Reſpondeo intelligi conſultationem, ſeu diſcuſſionem, indaginem, inquiſitionem, colloquium, ſeu confabulationem, quæ ad aliquid perficiendum præmittitur, *l.*5.*in principio*, & §.*penult.de præſcript.* ita Baldus *tomo* 4. *conſil.*133. & alij communiter.

13 Secun

13 Secundò dubium eſt, quotuplex ſit tractatus. Reſpondeo duplicem eſſe, alius dicitur conſultiuus, ſeu informatiuus, alius decretiuus, ſeu deciſiuus, ſeu definitiuus, ſeu incluſiuus; tractatus conſultiuus conſiſtit in inquiſitione, ſeu informatione, quę de re, ſeu perſona aliqua traditur, vel ſuſcipitur, vt ſi quis ab alio petat, an talis Cardinalis ſit probatæ, vel deprauatæ vitæ, an ei placeat electio talis Cardinalis, an ſperet fore, vt ritè valeat Pontificium munus ſuſtinere, an credat eligendum ſi proponatur, alter verò reſpondeat affirmando, vel negando, opponendo, vel collaudãdo, & inde accedat ad electionem; tractatus deciſiuus ſuſcipitur, vel dirigitur ad certò decernendum, ſeu ſtabiliendum, ſeu excludendum, vel includendum, & non tantùm ad informandum, vel inquirendum, & explorandum, vt ſi nonnulli præuia promiſſione animo promittendi facta conueniant ad aliquem nominandum, vel ſibi dent certam fidem de tali eligendo; ſi verò rationibus alicui ſuadeant, vt talem nominet, aliqui Doctores putant eſſe tractatum deciſiuum, ſed oppoſitum mihi probatur, niſi accedat promiſſio, ſeu conuentio: nam rationes potius pertinent ad tractatum hortatiuum, vel conſultiuum, quàm ad deciſiuum; alioquin nunquam liceret rationes afferre

afferre in tractatu conſultiuo, ſed quaſi temerè faciendus eſſet tractatus, vel omnia ſcrupulis plena redderentur; præſertim cùm adductio argumentorum, & rationum diuinæ inſpirationi non aduerſetur.

Ex quo licet inferre electionem, *quaſi per inſpirationem*, non vitiari precibus, & exhortationibus præcisè, quia hæ nullibi prohibentur, & non ſunt tractatus; imò Sopranus *loco citato quæſt.* 10. idem ſentiendum putat, quando minæ, ſeu metus incutitur ad alicui ſuffragandum potius, quàm alteri, modò metus non incutiatur omnibus, & inſcius ſit ille qui eligitur. Ratio eſt, tum quia alioquin liberum eſſet cuique poſtea impugnare electionem; tum quia metus non tollit omnino voluntarium; tum quia metus non eſt tractatus, & adhuc verum eſt dicere electionem factam fuiſſe nemine diſſentiente, cùm is qui per metum conſentit non dicatur diſſentire licet præciſo metu non conſenſiſſet, ſed diſſenſiſſet: oppoſitum tamen mihi probabilius videtur iuxta dicta *quæſt.* 1. *punct.* 2. *num.* 2.

14 Tertiò dubium eſt, vtrum quilibet tractatus in electione, *quaſi per inſpirationem*, prohibeatur. Reſpondeo prohiberi deciſiuum, & decretiuum, non verò informatiuum, ſeu inquiſitiuum, & conſultiuum.

M Quòd

Quòd prohibeatur deciſiuus, patet; tum quia in hac Bulla prohibentur conuentiones de certa perſona eligenda, tractatus autem deciſiuus eſt conuentio de certa perſona eligenda; tum quia vel prohibetur tractatus conſultiuus, vel deciſiuus; non conſultiuus, vt ſtatim probabo, ergo deciſiuus; tum quia tractatus deciſiuus de certa perſona repugnat electioni *per inſpirationem*; electio enim cum huiuſmodi tractatu facta adſcriberetur potius humanæ induſtriæ, quàm Spiritui ſancto, *cap. per inquiſitionem, de electione*; ergo Gregor. XV. hunc prohibuit in hac electione.

Quòd verò prohibitus non ſit tractatus conſultiuus, ſeu informatiuus probatur primò, quia ab antiquo iure non receditur, niſi quatenus Iure nouo ſtatuitur, *l. præcipimus, §. finali, C. de appellatione*; ſed iure antiquo conceditur tractatus conſultiuus, & informatiuus *cap. in nomine Domini 23. diſtinct.* & iure nouo huiuſmodi tractatus non prohibetur; nam illa verba, *Nullo præcedente de ſpeciali perſonæ tractatu*, intelligi poſſunt de tractatu deciſiuo, vt patebit ex rationibus, proximè ſequentibus; ergo non eſt prohibitus tractatus conſultiuus, ſeu informatiuus.

Secundò, quia idem Gregorius in ſua Bulla aït, ſe non vetare tractatus pro electione habendos;

bendos; ſed tractatus informatiuus habendus eſt pro electione, *cap. in nomine Domini citato*; ergo tractatus informatiuus non vetatur.

Tertiò, quia Pontifex præſumendus non eſt ſibi contraria dicere, cùm ergo permittat, & prohibeat tractatus, dum prohibet; intelligitur de deciſiuo, dum permittit, de conſultiuo.

Quartò, quia Canones præcipientes tractatum ante alienationem bonorum Eccleſiaſticorum, intelliguntur de conſultiuo, & informatiuo, non de decretiuo cum concluſione; ergo etiam dum Pontifex prohibet tractatum in electione, intelligendus eſt de tractatu deciſiuo.

Quintò, quia dum aliquid à pluribus in vtilitatem Eccleſiæ diſponendum eſt, ſacri Canones 12. *quæſt.* 2. iubent tractatum præmitti; ſed hic agitur de maxima Eccleſiæ vtilitate; ergo tractatus præmitti poteſt, non deciſiuus; ergo conſultiuus.

Sextò quia verſamur in materia pœnali, in qua electio aliter facta irritatur, & electus excommunicatur, & Apoſtaticus exiſtimatur; ſed in materia pœnali benignior interpretatio facienda eſt; ergo, &c. ita Sopranus *lib.* 3. *de electione Pontificis, cap.*18. *&* *cap.*21. *quæſt.*2. & alij recentiores.

Obiicies, Pontifex mandat electionem, *quaſi per inſpirationem* fieri, nullo præcedente tractatu; dictio autem *nullus*, eſt vniuerſalis negatiua, Rota *deciſ.*843. *num.*3. Menochius, Corneus, & alij apud Tuſchum *tomo* 2. *litt.D. concl.*315. *& ſeq.* apud Gratum, & alios; ergo excludit omnem prorſus tractatum. Reſpondeo illam dictionem eſſe vniuerſalem, & intelligi de quolibet tractatu deciſiuo, non de conſultiuo; ſufficientem enim rationem habemus ad hanc interpretationem faciendam.

15 Rogabis, vtrum tractatus conſultiuus, & informatiuus in electione *per inſpirationem*, non ſolum ſit permiſſus, verum etiam neceſſariò præmittendus. Reſpondeo neceſſariò præmittendum non eſſe. Ratio eſt, quia huiuſmodi electio fit impulſu Spiritus ſancti; Spiritus autem ſanctus poteſt omnes abſque præuio tractatu permouere, & impellere.

Obiicies, Papa *in cap. in nomine Domini*, 23. *diſtinct.* præcipit Cardinales conuenire ad tractandum de electione Pontificis. Reſpondeo præcipere, vt conueniant ad agendum de electione, non autem præcipit, vt ſemper, & in omni electionis genere tractatum præmittant.

16 Quartò dubium eſt quænam requirantur, vt tractatus deciſiuus, ſeu incluſiuus vitiet, & irritam reddat electionem factam, *quaſi*

*per*

*per inſpirationem.* Reſpondeo duo requiri.

Primò, vt tractatus fiat ante ipſam electionem; nam in Bulla Gregoriana dicitur, *Nullo præcedente de ſpeciali perſona tractatu*; quamobrem ſi inchoata iam electione tractatus fiat, electio valida eſt, quia non dicitur præcedere electionem, ſed comitari, & quod certo tempore prohibetur, alio cenſetur permiſſum, *l. promiſſor. ff. de conſtitut. pecun. & l. ſi in ſuam, ff. de verborum obligat.* ita Sopranus *cap.* 18. *ad finem*, & *cap.* 21. *quæſt.* 3. *&* 4.

17 Electio tunc inchoata cenſetur iuxta nonnullos Doctores, quos ſequitur Sopranus, quando Cardinales omnes conuenerunt in locum electionis, & parata ſunt omnia ad faciendam electionem, exclusíque ſunt illi, qui ad electionem conuenire non debent; in moralibus enim actio inchoata cenſetur, quando omnia parata ſunt, & expedita ad agendum, ita Hoſtienſis, Boërius, & alij, aſſerentes electionem *per inſpirationem*, non vitiari tractatu in Capitulo, ſed tractatu extra Capitulum habito; ego verò probabiliùs cenſeo, electionem tunc cenſeri inchoatam, dum aliquis Cardinalium, aliis præſentibus, quantum eſt ex ſe aliquem in Papam acclamauit, ſeu ſuffragium tulit; tunc enim res non videtur integra, ſed inchoata; non verò videtur inchoata, dum

parata ſunt omnia, ſicut iudicium non dicitur inchoatum ante citationem, quæ eſt actus iudicialis, etiamſi aliàs parata eſſent omnia ad Iudicium neceſſaria, iis tamen non inchoatis.

Secundò requiritur, vt tractatus deciſiuus, ſeu incluſiuus fiat de ſpeciali perſona; Summus enim Pontifex approbat electionem, *quaſi per inſpirationem*, quæ fit nemine diſſentiente, *Nullo præcedente de ſpeciali perſona tractatu*: & infrà, *Nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu.*

Hinc ſequitur primò, electionem, *quaſi per inſpirationem*, inualidam eſſe, dum præceſſit tractatus de aliquo certo includendo, & hic electus fuit; idem ſentiendum putat Sopran. *lib.3.cap.21.quæſt.7.*quando præceſſit tractatus excluſiuus ſpecialis perſonæ. Ratio ipſius eſt, quia huic conueniunt verba diſpoſitionis; ſed oppoſitum mihi probabilius videtur, ſi is de quo initus erat tractatus excluſiuus, electus ipſe fuit in Pontificem; nam hinc magis apparet electionem factam fuiſſe, *quaſi per inſpirationem*, impulſu Spiritus ſancti, cùm homines ipſum antea promoueri nollent. Idem mihi dicendum videtur, dum tractatus incluſiuus præceſſit, de alio, quàm de eo, qui modò electus fuit; nam hic non videtur electus hominum

num induſtria, ſed Dei, qui omnes vnius moris facit habitare in domo, & fidelium mentes vnius efficit voluntatis. An autem excommunicatio incurratur, conſtabit ex dicendis *diſp.2.quæſt.7.* vbi oſtendam incurri.

Secundò ſequitur electionem validam eſſe, dum tractatus præceſſit de excludendis omnibus Cardinalibus, talis nationis, ſeu de eligendo Papam, talis ſolum nationis. Ratio eſt, tum quia alioquin etiam irrita eſſet electio, dum Cardinales conueniunt, vt nullus qui non ſit Cardinalis eligatur; tum quia hic non eſt tractatus de ſpeciali perſona; nam perſona ſpecialis, eſt perſona certa, determinata, & indiuidua, ſeu hæc numero, ex Baldo *in l.Gallus, §. ille caſu, ff. de liber. & poſth.* Panormit. & alij communiter apud Iacobatium *de Concilio lib.4.art.4. num.*140. An autem excommunicatio incurratur in prefato caſu, certum eſt incurri, vt patebit ex dicendis *diſp.2. quæſt.7.*

Tertiò validam eſſe electionem factam præcedente tractatu de generali perſona; tum quia, tractatus de ſpeciali perſona, de quo Pontifex loquitur, non extenditur ad tractatum, de perſona generali; prohibitio enim certæ rei, non extenditur ad non expreſſam, *cap.quod ſedem de offic. Ordinarij*; tum quia hic

non repugnat electioni *quaſi per inſpirationem*, tractare enim de perſona in generali, nihil eſt aliud, quàm agere ad eligendũ aliquem in generali, quod in omni electione fieri cõſueuit.

18 Sed modò dubium eſt, vtrum electio, *quaſi per inſpirationem* facta, præcedente tractatu de ſpeciali perſona inualida ſit, ſi electus huiuſmodi tractatum penitus ignorabat. Sopranus præceptor meus *in tractatu de electione Pontificis*, *lib.3. cap.21. quæſt.5.* exiſtimat validam eſſe. Ratio eſt, Primò, quia Summus Pontifex electum præuio tractatu, Apoſtaticum, & non Apoſtolicum vocat, vinculo excommunicationis, aliiſque pœnis obſtringit, & punit; ſed pœna non debetur, vbi non eſt culpa; ergo hac pœna non punitur electus inſcius tractatus; Secundò electio per ſimoniam, cuius inſcius erat electus, non vitiat ſubſtantiam electionis; ergo neque tractatus de ſpeciali perſona, cùm par ratio videtur. Tertiò, quia ſalubriter prouiſum non eſſet Eccleſiæ, quia facta electione poſſent Cardinales contra electum excipere, & tractatum præcedentem probare.

Sed mihi dicendum videtur electionem inualidam eſſe, tum quia Pontifex abſolutè irritat electionem *per inſpirationem factam* præcedente de ſpeciali perſona tractatu, tum

quia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quia tractatus præcedens electionem, opponitur electioni, *quaſi per inſpirationem*; inde enim licet coniicere electionem factam non fuiſſe impulſu Spiritus ſancti immediatè (cùm Spiritus ſanctus ad rem illicitam non impellat) ſed Cardinalium opera, & induſtria, ita Hoſtienſis, Boërius, & alij aſſerentes tractatum extra Capitulum vitiare electionem.

Ad primam rationem in contrarium. Reſpondeo inde probari electum iis pœnis non puniri, non tamen electionem ſubſiſtere, non ob culpam electi, ſed defectu eorum, quæ ad electionem *quaſi per inſpirationem* requiruntur, vt à ſimili patet in contractu abſque debita ſolemnitate celebrato, quem conſtat irritum eſſe, etiamſi bona fide factus ſit.

Ad ſecundam, quicquid ſit de antecedente, de quo ſuprà *quæſt*. 2. §. *vnico*, negatur conſequentia. Ratio diſparitatis eſt, quia tractatus præcedens electionem opponitur rationi, & naturæ electionis *per inſpirationem*.

Ad tertiam, Reſpondeo ſalubriter Eccleſiæ prouiſum eſſe; tum quia Pontifex decernit ea ſeruari, quæ ad rationem talis electionis requiruntur; tum quia ob id non eliditur electio, quia cùm omnes conſenſerint, fides præſtanda non eſt iis Cardinalibus, qui tractatum obiiciunt, vt ſuprà docui cum Baldo, & aliis.

# PVNCTVM IV.

## De creatione Pontificis ſucceſſoris facta per deſignationem, & electionem à Papa adhuc viuente.

### *SVMMARIVM.*

1 *Pontifex licitè non poteſt ſibi ſucceſſorem eligere ſine vrgentiſſima cauſa.*

2 *Neque licitè poteſt ſucceſſorem eligere ſine conſenſu omnium Cardinalium.*

3 *Pontifex de plenitudine poteſtatis poteſt ſibi ſucceſſorem validè eligere.*

4 *Pontifices an aliquando vſi ſint poteſtate abſoluta eligendi Pontificem.*

5 *Clemens prius à D. Petro in ſucceſſorem electus, an Papatui ceſſerit.*

6 *Linus, & Cletus non fuerunt abſoluti Pontifices, ſed cooperatores, & Suffraganei SS. Petri, & Clementis.*

7 *Tractatio de poteſtate abſoluta Pontificis ad Theologos pertinet, non ad Canoniſtas.*

8 *Pontifex an poſſit ſibi duos ſucceſſores eligere, eodem tempore, qui eandem auctoritatem adæquatè, vel inadæquatè in totum orbem exerceant.*

Tria

TRia principaliter in hac quæſt. explicabo; Primò, vtrum Pontifex poſſit ſibi, de poteſtate ſaltem abſoluta ſucceſſorem licitè eligere; Secundò, vtrum validè; Tertiò, vtrum Papa validè poſſit duos ſucceſſores eligere, qui eandem eodem tempore auctoritatem exerceant, ſeu an Eccleſia duos Summos Pontifices creare poſſit.

## PRIMA PROPOSITIO.

1 SVmmus Pontifex licitè non poteſt ſibi ſucceſſorem eligere, ſine vrgentiſſima, & grauiſſima cauſa, & ſine conſenſu omnium Cardinalium; quòd non poſſit ſine vrgentiſſima cauſa probatur.

Primò, quia Sũmus Pontifex vti non debet poteſtate abſoluta, ſeu plenitudine poteſtatis, abſque grauiſſima cauſa, ex Innocentio *cap. innotuit, de electione.* Panormit. *in cap. ad hæc de reſcriptis*, & aliis quos ſequitur Iacobatius *lib. 7. art. 5. num.* 134. *&* 292. Electio autem ſucceſſoris pertinet ad plenitudinem poteſtatis, alioquin Summus Pontifex hoc pacto fere ſemper eligeretur, quod eſt contra conſuetum Eccleſiæ vniuerſalis vſum.

Secundò, quia ex huiuſmodi electione facilè arripi poſſet occaſio ſcandali, & Papa-

tus

tus iure quaſi hæreditario ad conſanguineos tranſmitteretur, cum graui Eccleſiæ vniuerſalis damno, & plurimorum ſcandalo.

Tertiò, quia Cardinales hoc tempore iurant obſeruantiam conſtitutionis Greg. XV. circa electionem Papæ; Papa autem nõ poteſt contra iuramenti vinculum facere, cùm iuri naturali diuino ſubiiciatur; niſi fortè dicas Cardinales iurare obſeruantiam illius conſtitutionis, dum Papa Collegialiter ab ipſis tanquam Cardinalibus eligendus eſt, non verò dum Papali auctoritate gaudebunt, alioquin non liceret Papæ, Gregorij conſtitutionem variare.

2 Quòd verò Pontifex licitè nequeat ſibi ſucceſſorem eligere ſine conſenſu omnium Cardinalium, patet, quia ſingulis Cardinalibus per capita competit ius eligendi Pontificem; ſed iuri alterius derogari non poteſt ipſo non conſentiente, *cap. quod omnes tangit de reg. Iuris, in 6. & cap. 1. 66. distinct.* ergo Pontifex non poteſt ſucceſſorem eligere non conſentientibus ſingulis Cardinalibus, alioquin ipſorum Iuri derogaret, & præiudicium afferret.

Obiicies, Reges, & Principes licitè eligunt ſibi ſucceſſores abſque vllius conſenſu, & ſine

vrgen

vrgentiſſima cauſa; ergo etiam Pontifex ſibi ſucceſſorem licitè poteſt eligere abſque graui cauſa, & ſine Cardinalium conſenſu. Reſpondeo primò, negando antecedens, niſi populus conſentiat, aut niſi Reges, & Principes pleno iure, & independente à populorum voluntate, Principatibus, & Regnis potiantur. Reſpondeo ſecundò, negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, tum quia huiuſmodi Reges, & Principes pleno iure in ſuos ſubditos gaudent, eo quod iure belli Regna ſibi ſubegerint (ſubactis enim libertas in totum, vel in partem aufertur) vel populis conſentientibus hoc ius liberè acquiſiuerunt; tum quia præfati Reges ius eligendi in alios non tranſtulerunt, vt ſuppono, alioquin nec ipſi licitè poſſent alium Regno præficere, inuitis, & diſſentientibus iis qui eligendi iure gaudent; tum quia ſacer Principatus temporalia Regna dignitate longè antecellit, nec par eſt, vt iure quaſi hæreditario inſtar bonorum temporalium in ſucceſſores tranſmittatur.

## SECVNDA PROPOSITIO.

3 SVmmus Pontifex de plenitudine poteſtatis poteſt ſibi ſucceſſorem validè eligere. Ratio eſt.

Primò,

Primò, quia electio Summi Pontificis pertinet ad viſibilem Eccleſiæ adminiſtrationem, & gubernationem; ſed Summus Pontifex ea omnia facere poteſt, quæ pertinent intrinſecè ad viſibilem Eccleſiæ adminiſtrationem, vt patebit ex rationibus proximè ſequentibus; ergo poteſt ſibi ſucceſſorem eligere.

Secundò, quia Summus Pontifex validè poteſt Collegio Cardinalium ſe adhuc viuente facultatem eligendi ſucceſſorem concedere, (quicquid in contrarium dicant Albanus *quæſt.* 53. & Azorius *lib.* 4. *cap.* 6. *quæſ.*4.) ergo poteſt etiam per ſeipſum eligere; hæc conſequentia probatur, tum quia adminiſtratio Eccleſiæ eſt perfectiſſima Monarchia, conſequenter quicquid poteſtatis hierarchicæ in ſingulis Eccleſiæ membris reperitur, id totum longè perfectiùs reſidet in ſupremo capite, quod in Eccleſia conſtat eſſe Summum Pontificem, vt fusè probat Nicolaus Sander *de Eccleſ. Monarch. lib.*1. *&* 2. Bellarm. *lib.* 1. *de Romano Pontif.* Beram, *lib.*2. *&* 3. contra Spalantem, & Suarez *de fid. defenſ. aduerſus Regem Angliæ, lib.*3. *cap.*19. *& ſeqq.* tum quia qui poteſt aliquid per alium, poteſt etiam idem munus per ſeipſum obire, niſi dignitatis ſuæ limites excedat, propriúmque gradum dedeceat.

Tertiò,

Tertiò, quia D. Petrus poteſtatem habuit eligendi ſibi ſucceſſorem, cùm huiuſmodi poteſtas intrinſecè pertineat ad viſibilem vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtrationem, quæ D. Petro deneganda non fuit; ergo etiam Summus Pontifex facultatem habet eligendi ſibi ſucceſſorem; hæc conſequentia probatur, quia Summus Pontifex eandem integram, illæſam, & illibatam habet poteſtatem erga viſibilem Eccleſiam, quam habuit D. Petrus, quod triplici ratione probo; tũ quia D.Petro, & ſucceſſoribus æquè dictum fuit *paſce oues meas*; tum quia Summus Pontifex dicitur hæres, & ſucceſſor Petri; hæres autem ſuccedit in integram auctoritatem præceſſoris, niſi aliquid ei à Prædeceſſore detractum fuerit, & diminutum, quod dici non poteſt de auctoritate Papæ, cùm id nulla ratione, & ſufficienti fundamento probari queat; tum quia alioquin Hæreticis, dum caſus aliquis circa Summi Pontificis auctoritatem contingeret, occaſio daretur aſſerendi Papam in eo caſu facultatem non habere, etiamſi illam D. Petro concedant; vide Suarez *in tractatu de fidei defenſione, lib. 3. cap. 13. num. 12. & cap. 15. & ſequent.*

Quartò, quia D.Petrus elegit Clementem ſibi ſucceſſorem, vt teſtatur ipſémet Clemens

*epiſt.* 1.

*epiſt.* 1. *ad Iacobum fratrem Domini.* & *lib.* 3. *conſtit. cap.* 45. Ioannes Papa *in epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ*; & habetur *cap.* 1. 8. *q.* 1. Sanctus Leo, Venerabilis Beda, & alij apud Cardinalem Bellarmin. *lib.* 1. *de Clericis cap.* 8. & apud Baronium *in Annalibus anno* 69. *num.* 11. apud Sopranum præceptorem meum *in manuſcriptis de electione Summi Pontificis lib.* 1. *cap.* 8. quibus adde Suarez *loco citato num.* 13.

Quintò, quia Epiſcopi, & alij inferiores Prælati poſſunt conſentiente Summo Pontifice ſibi ſucceſſorem eligere, vt quotidiana conſtat experientia; ergo etiam Papa poteſt ſibi ſucceſſorem eligere; cùm minoris poteſtatis Epiſcopis, & Prælatis inferioribus minimè ſit.

Sextò, quia poteſtas eligendi Pontificem eſt ſacra, & ſpiritualis, conſequenter eſt à Deo immediatè, & in illo reſidet cui Deus eam contulit, Chriſtus autem eam contulit immediatè Pontifici; non autem aliis; Chriſtus enim non commiſit Eccleſiam ſuam Eccleſiæ ſuæ, oues ouibus, agnos agnis, ſed oues & agnos Paſtori, & fideles Capiti, vt benè poſt Caiet. *opuſc.* 1. *de auctor. Papæ*, Suarez *loco citato lib.* 3. *cap.* 10. Sopran. *lib.* 1. *de elect. Papæ, cap.* 9. §. 1.

Septimò, quia ex ſententia, quæ Summo Pontifici

Pontifici facultatem eligendi ſibi ſucceſſorem denegat, plura ſequerentur abſurda; nam Primò ſequitur, Eccleſiæ ſtatum non eſſe perfectè Monarchicum, ſed potius Polyarchicum, quod eſt falſum; tum quia Chriſtus Petro tantùm, & Pontificibus ipſius pro tempore ſucceſſoribus dixit, *Paſce oues meas*; tum quia poteſtas Eccleſiaſtica quæ in ſingulis Eccleſiæ membris reperitur, perfectiùs in Romano Pontifice tanquam in Capite reſidet, & continetur.

Secũdò ſequeretur ſtatum Monarchicum non exigere, vt omnis poteſtas, quæ circa Reipublicæ adminiſtrationem in membris reperitur, longè perfectiùs in capite Monarchiæ contineatur; hoc autem falſum eſt, vt ex Ariſtotele 3. *Polit.* 5. & 8. *Ethic.* 10. probant Bellarmin. *lib.* 1. *de Pontifice cap.* 1. & alij.

Tertiò ſequeretur perfectum Monarcham non poſſe ſucceſſorem eligere, vel de ſucceſſore agere, hoc autem perfectæ Monarchiæ aduerſatur, ex Ariſtotele *lib.* 5. *Polit.* 3. & *lib.* 8. *cap.* 10. & aliis.

Quartò ſequitur non omnem poteſtatem, quæ in Petro fuit, eſſe etiam in Pontificibus ipſius ſucceſſoribus; hoc autem falſum eſt; tum quia poteſtas eligendi, pertinet ad Eccleſiæ adminiſtrationem; omnis autem pote-

ſtas pertinens ad Eccleſiæ adminiſtrationem, æquè in ſucceſſoribus reſidet, ac in Petro, cùm Chriſtus æquè omnibus dixerit, *Paſce oues meas*; tum quia ſequeretur mutatum eſſe Eccleſiæ regimen, cùm Petri ſucceſſores idem præſtare nequeant quod præſtitit Petrus; tum quia ex poteſtate, quam Chriſtus Petro contulit, non poſſemus arguere, quid Pontifices hoc tempore poſſint, ſi ſemel admittamus poteſtatem aliquam in Petro extitiſſe, quæ in ſucceſſoribus non reperiatur; aliam rationē affert Suarez, *de Fidei defenſione lib.3.c.18.n.12.* quæ apud ipſum videri poteſt.

Octauò, quia huius ſententiæ ſunt egregij, & nobiles Doctores, tam Canoniſtæ, quàm Theologi, Felinus *cap.1.de conſtit.num.23.* Cardinalis Iacobatius *lib.9. de Concilio art.3.n.10.* Andreas Dualius, *lib.3.de poteſt.Pontificis,* Victoria *in Relat.2.de poteſt.Papæ,q.2.num.2.& 3.* Caiet.*in opuſc.1.de auctoritate cap.13.* Martinus Ledeſma *2.parte comment. lib.4.9.20.art.1. concluſ.10.* Cardinalis Bellarminus *lib.2. de Clericis cap.8.* Franciſcus Suarez *tractatu de fide, ſpe, & charitate, diſp.10.ſect.4.num.16.& in tom. de fidei defenſione, lib.3. cap.13. num.13.* Franciſcus Turrianus *lib.3.cap.10.* Ioannes Hieronymus Sopranus *de electione Summi Pontificis, cap.7. & ſeqq.* & alij Theologi contra quamplures

plures Canoniſtas, quos infrà *in obiectionibus proximè ſequentibus* enumerabo.

Obiicies primò, ius naturale, & diuinum dictare videntur, vt quis ſibi ſucceſſorem non eligat ſine interuentu Cleri, teſte Magno Leone *cap. in nomine, diſtinct.* 23. ergo Summus Pontifex iure naturali, & diuino, non poteſt ſe ſolo ſibi ſucceſſorem eligere. Reſpondeo primò, hinc ſolum colligi, Pontificem licitè non poſſe per ſe ipſum ſolum ſucceſſorem pronunciare, non tamen hinc ſequitur electionem fore inualidam; cùm multa illicitè fiant, quæ tamen facta tenent. Reſpondeo ſecundò Leonem eò loci loqui de electione Epiſcoporum, & aliorum inferiorum, quorum electio non ad Laicos, ſed ad Eccleſiaſticos pertinet; ideo enim aſſerit electionem Eccleſiaſticorum, ſine interuentu Cleri fieri non poſſe, vt explicet huiuſmodi poteſtatem penes Laicos non reſidere, dicitur tamen à Clero fieri, dum auctoritate Pontificis, qui vniuerſo Clero præſidet, celebratur.

Obiicies ſecundò electio ſucceſſoris ſubſiſtere non poteſt; nam vel ſucceſſor eligitur, viuente Summo Pontifice, & ſic eſſent duo Summi Pontifices, eodem tempore, cùm ſucceſſor à Papa legitimè electus, ſit verus Pontifex, ex ſuppoſitione; vel eligitur eo mortuo,

& hoc dici non poteſt, cùm Papa qui è viuis deceſſit, erga viſibilem Eccleſiam poteſtate careat. Reſpondeo eligi à Papa adhuc viuente, non per electionem abſolutam, quæ ſtatim vires habeat, ſed per deſignationem, pro eo ſcilicet tempore, quo Papa ex hac vita migrauerit, quo pacto Dauid electus fuit à Saüle, & Conſules aliàs in Republica Romana eligebantur, & hæres inſtituitur à teſtatore, & lex vim habet etiam mortuo conditore; nec tamen hinc ſequitur duos eſſe eodem tempore in Eccleſia Pontifices, cùm ſucceſſor electus non acquirat Pontificatum per abſolutam electionem, ſed per deſignationem, quæ completum effectum ſortitur mortuo præceſſore.

Dices non-entis nullæ ſunt qualitates, &, operari ſupponit eſſe, *cap. bonæ de electione, cap. nuper de donat. inter virum, & vxorem*, & *l. traditio. ff. de acquir. rerum domin. l. eius qui, §. quoniam, ff. ſi certum petatur, l. Pomponius, §. final. ff. de acquirenda poſſeſſ.* ergo electio mortuo Pontifice non prodeſt. Reſpondeo non-entis, ſeu mortui nullas eſſe qualitates, ſeu operationes de integro, & totaliter, poſſe tamen eſſe effectum completum eius actionis, quam dum viueret, egit, vt in noſtro caſu.

4 Obiicies tertiò, Pontifices nunquam vſi ſunt hac poteſtate; ergo ſignum eſt hanc poteſta

teſtatem apud ipſos non reſidere. Reſpondeo primò, D. Petrum hac poteſtate vſum fuiſſe, in electione Clementis, & probabile eſt etiam ſucceſſores hac poteſtate priſcis temporibus vſos fuiſſe, cùm fideles initio naſcẽtis Eccleſiæ ad electionem Summi Pontificis commodè conuenire non poſſent, vt innuunt Pamelius *in notis ad Epiſt. 52. S. Cypriani, num. 3.* & apud eum Pichius, Platina, & Panuinus; & Bonifacius elegit Vegelium, quamuis poſtea electionem reuocauerit, eo quòd à Vegelio deceptus fuiſſet. Reſpondeo ſecundò, negando conſequentiam, quamuis enim admitterem alios Pontifices hac eligendi forma vſos non fuiſſe, non tamen hinc ſequitur Papam hac poteſtate deſtitutum eſſe, cùm aliqua fieri poſſint à Papa, quæ hactenus facta non fuerunt, nec cuncta hactenus contigerint, quæ poſſibilia exiſtimantur, ſicut ante Martinum V. nunquam cum aliquo diſpenſatum fuerat in voto ſolemni Religionis, & nihilominus facultas in eo voto diſpenſandi Summo Pontifici competebat, & ſicut Papa poſſet cum vxore manere, ex communi DD. ſententia, ſi forte vir coniugatus in Papam eligeretur, quem Electores neſcirent vxorem habere, & vxor ab eo recedere nollet, & tamen hic caſus nondum accidit, nec euenturum credo.

Obiicies quartò, ſi poteſtas eligendi ſucceſſorem Summo Pontifici conuenit, maximè, quia D. Petrus elegit ſibi ſucceſſorem Clementem, & hanc poteſtatem in ſucceſſores tranſtulit, ſed hæc ratio non eſt firma, & valida. Primò, quia incertum eſt Petrum ſibi ſucceſſorem Clementem elegiſſe. Secundò, quia etiamſi admittamus elegiſſe iuxta nonnullorum Patrum auctoritatem, nihilominus non verè elegit, ſed tantum nominauit; nomen enim electionis propriè loquendo adhiberi ſolet, tam ad ſignificandam nominationem, quàm propriam electionem. Tertiò, quia hoc fuit priuilegium perſonale ſancti Petri, ſicut fuit donum miraculorum; priuilegium autem perſonale ad ſucceſſores non transfertur. Quartò, quia Clemens immediatè non ſucceſſit D. Petro, ſed Lino, ſeu Cleto; quarto enim inter Pontifices ordine numeratur Clemens, vt patet, tum ex narrationibus hiſtoricis, tum *ex Canone Miſſæ*, ibi *Lini*, *Cleti*, *Clementis*. Quintò, quia à morte S. Petri, vſque ad obitum Clementis interceſſerunt 26. anni: nam fertur Clementem mortuum eſſe tertio Trajani anno; & Lino vndecim annos, ſex Cleto, & nouem Clementi adſcribant; vel ergo dicendum eſt, Clementem in Pontificatu viginti ſex annis extitiſſe,

quod

quod eſt contra vulgatum illud axioma, *non videbis annos Petri* (Petrus enim tantum 25. annis Eccleſiam vniuerſalem rexit;) vel aſſerendum eſt Clementem à D. Petro electum non fuiſſe, cùm Cleti ſucceſſor fuerit. Reſpondeo ex electione Clementis à D. Petro facta maximum deſumi argumentum, ad probandum Summos Pontifices, hac eligendi facultate gaudere; an autem D. Petrus, Clementem ſibi ſucceſſorem elegerit, ſuperiùs à me probatum fuit in quarta ratione: Ex quo patet reſponſio, ad primam huius quartæ obiectionis rationem.

Ad ſecundam. Reſpondeo Doctores, & Patres nomine electionis, qua D. Petrus Clementem elegit, intelligere veram, & propriam electionem, vt apertè conſtat, tum ex Ioanne Papa, & ipſomet Clemente, aliiſque aſſerentibus D. Petrum tradidiſſe Clementi Romanum Pontificatum, tum ex venerabili Beda, affirmante D. Petrum conſecraſſe Clementem in ſibi ſucceſſorem, tum ex Cronologico Pontificum, quod communiter circumfertur; hæc autem verificari non poſſunt de nominatione propriè accepta, ſed de electione.

Ad tertiam. Reſpondeo negando illud fuiſſe priuilegium perſonale D. Petri; tum quia poteſtas eligendi ſucceſſorem pertine-

bat,& pertinet intrinſecè ad Eccleſiæ gubernationem; poteſtas autem intrinſecè pertinens ad viſibilem Eccleſiæ gubernationem, non eſt perſonalis,ſed realis adnexa dignitati, & collata D.Petro,& eius ſucceſſoribus, dum Chriſtus vniuerſaliter, & indiſtinctè dixit, *Paſce oues meas*; tum quia ſi ſemel admitteremus ea quæ à D.Petro geſta fuerunt, non ex reali, ſed ex perſonali priuilegio facta fuiſſe, tota ferè Summi Pontificis poteſtas rueret, & non leuis occaſio de ipſius auctoritate detrahendi Hæreticis concedi videretur; Hæretici enim admittunt Petrum fuiſſe caput Apoſtolorum, Vicarium Chriſti, & quamplura in Eccleſia adminiſtranda potuiſſe; admittunt etiam Summum Pontificem eſſe Petri ſucceſſorem,ſed cùm deducimus, hoc fecit Petrus,vel ab eo fieri potuit: ergo etiam à Pontifice ipſius ſucceſſore fieri poteſt: Negabunt hanc conſequentiam aſſerendo hoc fuiſſe perſonale Petri priuilegium. Ad id quod dicitur de poteſtate patrandi miracula, quæ D.Petro conceſſa fuerat, reſpondetur huiuſmodi poteſtatem pertinere ad gratias gratis datas, & non ſpectare intrinſecè ad vniuerſalem Eccleſiæ adminiſtrationem; nam etiam alij qui gubernationi Eccleſiæ non præſunt, dono miraculorũ Deo cõcedente frui poſſunt.

Ad

Ad quartam reſpondent aliqui. Primò Clementem præ modeſtia Pontificatui ceſſiſſe, vt exemplum ſucceſſoribus præberet fugiendæ dignitatis, etiamſi D. Petrus ipſum tanto dignitatis gradu promeritum, & dignum pronunciaſſet, ita Suarez *tomo de fidei defenſ. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 13. vbi hanc ſententiam probabiliorem vocat.

5 Reſpondeo ſecundò, Clementem fuiſſe immediatè Petri ſucceſſorem, nec vnquam Pontificatui renunciaſſe, vt conſtat ex Ioanne Papa III. *in ſua epiſtola*, idémque ex Damaſo *in vitis Pontificum.* Tertulliano *de præſcript.cap.*32. D.Hieronymo *lib.*1.*aduerſus Iouinianum*,& *cap.*52.*in Iſaiam.*Nicephoro,& aliis; probant Franciſcus Turianus *de Canone Apoſtolorum,cap.*10. Pariſius *de reſignat.lib.*2.*quæſt.*1. & Sopran. *de electione Summi Pontificis, lib.*1. *cap.*9. Præterea in Concilio Florentino, Alexander inter Pontifices quinto loco poſt Petrum enumeratur, quod fieri non poſſet, niſi Clemens ſtatim poſt D.Petrum ſucceſſiſſet, ſuppreſſis Lino,& Cleto:

6 Nam Linus, & Cletus non fuerunt abſoluti Pontifices,ſed cooperatores Pontificatus, & ſuffraganei D Petri, adhuc viuentis, vt teſtantur Ioannes Papa *loco citato.* Azorius 2. *part.lib.*4.*cap.*6.*quæſito* 5. & alii; hæc de cau-

ſa Linus, & Cletus inter Pontifices enumerantur, licèt veri Pontifices minimè fuerint; Imò Linus, qui proximus Petro enumeratur, ante D. Petri mortem martyrij palma Capitone, & Rufo Conſulibus coronatum fuiſſe ferunt. Metaphraſtes *in vita SS. Petri, & Pauli.* Marianus Scotus *in Chronico*, Sophorinus Hieroſolym. *homil. de agone Petri.* Baronius verò *tomo* 1. *anno* 80. & alij putant Linum ſecundo poſt Petri mortem anno obiiſſe.

Ad quintam, Reſpondeo variam fuiſſe annorum ſupputationem; alij enim dicunt Linum viuente Petro, mortuum fuiſſe, alij eo defuncto, aſſerúntque Linum, & Cletum, tot annos Pontificatum geſſiſſe, non quia verè Pontifices fuerint, ſed quia D. Petri in Pontificatus officio cooperatores extiterunt. Alij reſpondent Clementem confirmaſſe Linum, & Cletum, iiſque coadiutoribus, & cooperatoribus exemplo Petri vſum fuiſſe, conſequenter tot annos Pontificatus Lino, & Cleto adſcribunt: verùm iſtæ reſponſiones difficultatem non euertunt; adhuc enim dici poſſet Clementem viginti ſex annis Eccleſiam rexiſſe, licet opera Lini, & Cleti vſus fuerit; quamobrem reſpondendum cenſeo Clementem non viginti ſex annis, ſed nouem, Pontificale onus poſt Chriſti mortem ſuſtinuiſſe, à die

die 3. Kalen. Iulij anni 68. vſque ad diem 11. Kalendas Decembris anni Chriſti 77. non quidem viuente Trajano, ſed Veſpaſiano, cuius decreto interfectus fuit, teſte Honufrio.

Obiicies quintò, ſi Summus Pontifex ſucceſſorem eligendi facultatem haberet, grauiſſima damna, & incommoda in Eccleſia Dei ſequerentur, inter cætera facilè arriperetur occaſio captandæ mortis.

Reſpondeo hinc ſolum inferri Summum Pontificem non poſſe ſucceſſorem eligere, ſine grauiſſima cauſa, & conſenſu vniuerſi Cardinalium cætus, non tamen hinc ſequitur electionem inualidam fore, quamuis enim priuilegiarius aliquando ſuo priuilegio abutatur, & dignus efficiatur qui priuilegio priuetur, non tamen ob id priuilegio caret, & inualidè agit quicquid agit. Reſpondeo ſecundò, ad diuinam prouidentiam pertinere, vt non permittat electionem ſucceſſoris ſine ſufficienti cauſa, ſicut ad eandem prouidentiam pertinet non permittere, vt Pontifex auctoritatem omnium Epiſcoporum in vniuerſo orbe exiſtentium reuocet, aut omnia ieiunia abroget, aut alia præcepta Eccleſiaſtica bono communi Eccleſiæ neceſſaria tollat.

Ad id quod dicitur de periculo captandæ mortis. Reſpondeo id eſſe quaſi per accidens,

ex malitia nonnullorum, alioquin neque teſtator poſſet hæredem inſtituere, nec Papa poſſet Epiſcopo facultatem eligendi ſucceſſorem concedere, nec permittendæ eſſent leges, quibus ſcitur, quiſnam ex filiis mortuo patre, regnum conſecuturus ſit.

Obiicies ſextò, Doctores ferè communiter in Iure Canonico non mediocriter verſati, facultatem eligendi ſucceſſorem Summo Pontifici denegant, Gloſſa *in cap. ſi tranſitus 79. diſt.* & *§. his omnibus 8. quæſt. 1.* Archid. *cap. ſi tranſitus, diſt. 79.* Rolandus *Rubrica de teſtamentis, num. 3.* Panormit. *cap. accepimus de pactis.* Martinus Laudenſis *de Cardinalibus quæſt. 20. & 39.* Gomez *reg. de infir. reſig. q. 1.* Albanus *de Cardin. quæſt. 32.* Iacobatius *lib. 5. de Concilio art. 22. num. 2. & lib. 6. art. 8.* Gondislaus Villadiego *de orig. & poteſt. Cardinal. quæſt. 5. num. 19.* & alij apud præfatos Doctores, quibus adde nonnullos Theologos Luiſium Turrianum *tract. de fide quæſt. 1. art. 10. diſp. 15. dub. 3. verſ. Sed difficultas.* Azorium 2. *part. lib. 4. cap. 5. quæſ. 3.* & alios apud Turrecrematam *cap. in nomine, quæſt. 1. diſtinct. 23.* ergo ſignum eſt Summum Pontificem non poſſe ſucceſſorem eligere. Reſpondeo primò plures alios Doctores præſertim Theologos ſuperiùs à me relatos, his proximè citatis opponi. Reſpondeo

ſecundò,

ſecundò, plures ex præfatis Doctoribus loqui de potentia ordinaria Pontificis, non de abſoluta, de qua nos loquimur.

Reſpondeo tertiò ad Theologos, non autem ad Canoniſtas, ſpectare tractationem, & diſputationem de auctoritate abſoluta Summi Pontificis, conſequenter fidem potius in hac re præſtandam eſſe Theologis, quàm Canoniſtis.

7 Quod tractatio de hac re ad Theologos pertineat, probatur, quia potentia abſoluta Summi Pontificis continetur ſub obiecto Theologiæ; eſt enim aliquid ſupernaturale, & ſacrum, ſpectans ad actus liberos Dei, quod ſuppoſita reuelatione per humanum diſcurſum cognoſcitur: ergo illius tractatio ad Theologos ſpectat: hæc conſequentia probatur, quia tractatio alicuius rei ad eam facultatem pertinet, intra cuius obiectum continetur; potentia autem Summi Pontificis abſoluta continetur intra obiectum Theologiæ, nam Theologia pro obiecto habet Deum, quatenus eſt ex reuelatis per diſcurſum cognoſcibilis, ſiue in ſua eſſentia, ſiue in ſuis actibus, tam liberis, quàm neceſſariis.

Quòd hæc tractatio non pertineat ad ſimplices Canoniſtas, probatur, quia abſoluta potentia Pontificis non continetur intra ambitum,

tum,& fines Canonici Iuris; ergo tractatio de abſoluta poteſtate Pontificis, non pertinet ad Canoniſtas: hæc conſequentia probatur, quia nulla facultas fines ſui obiecti tranſcendit, vel egreditur, ſicut nec ſutor vltra crepidam; antecedens probatur, quia obiectum Iuris Canonici eſt vita humana, quatenus per ſacros Canones, dirigi, gubernari, & coërceri poteſt; ſicut obiectum Iuris Ciuilis, eſt hominum vita, quatenus Iure Ciuili inſtituenda,& dirigenda; poteſtas autem abſoluta Papæ non coërcetur legibus Canonicis, cùm Princeps ſuis legibus non teneatur, nec par in parem habeat poteſtatem.

Dices, Canoniſtæ poſſunt de poteſtate Sūmi Pontificis ordinaria diſſerere, & diſputare; ergo etiā de abſoluta, cùm par ratio videatur.

Reſpondeo negando conſequentiam, niſi doctrinam à Theologis mutuò accipiant, vt diſparitas iſtius rei clariùs intelligatur, aduertendum eſt, poteſtatem Principis duplicem eſſe, vnam abſolutam iuxta quam ſuis, vel prędeceſſorum legibus non tenetur, alteram ordinariam, iuxta quam ſuis, vel prædeceſſorum legibus accommodare ſe conſueuit, cùm ergo Canoniſtæ verſentur circa Canones, quorum diſpoſitioni Papa conſueuit ſe accommodare ſequitur Canoniſtas poſſe de poteſtate

teſtate Papæ ordinaria agere, illiúſque naturam, fines, & conditiones explicare, non verò de abſoluta, vt eruditè explicat Sopranus præceptor meus *in manuſcriptis de electione Papæ lib. 1. cap. 9. ad finem §. vnico.*

Dices ſecundò, in corpore Iuris non ſolum continentur præcepta Eccleſiaſtica; verum etiam referuntur diuina, quibus declaratur quid credendum, quid faciendum, vel omittendum ſit: ergo Canoniſtæ agere poſſunt de rebus diuinis, & conſequenter de poteſtate abſoluta Papæ, cùm ſcientia Canonica circa Canones verſetur, & Papa legibus diuinis teneatur. Reſpondeo hinc ſolum ſequi Canoniſtas poſſe de iis rebus diſſerere, quæ in Iure Canonico traduntur, vel explicantur, non verò de iis quæ Papa de poteſtate abſoluta præſtare poteſt; cùm enim in corpore Iuris, nihil hactenus explicatum, vel definitum fuerit circa poteſtatem Papæ abſolutam in electione ſucceſſoris; ſequitur tractationem de huiuſmodi poteſtate ad Canoniſtas non pertinere, ſed potius ad Theologos, intra quorum obiecti ambitum præfata poteſtas continetur.

## TERTIA PROPOSITIO.

8 PApa non poteſt ſibi duos ſucceſſores eligere, qui eandem eodem tempore

auctoritatem exerceant, conſequenter duo eſſe non poſſunt Eccleſiæ Pontifices, conſequenter Eccleſia duos Summos Pontifices creare non poteſt. Ratio eſt, tum quia Papa eſt Vicarius Chriſti, qui eſt Caput Eccleſiæ: ſicut autem dedecet, vt vnius corporis plura ſint capita, ita etiam vt Eccleſiæ plures ſint Summi Pontifices; tum quia Eccleſia, ſeu Pontifex non confert futuro Pontifici poteſtatem, ſed deſignat, & eligit perſonam, cui Deus, poſita electione debito tempore, auctoritatem & iuriſdictionem tribuit: Deus autem præfatam auctoritatem non tribuit pluribus, ſed vni: Chriſtus enim dum Pontificatum inſtituit, dixit Petro, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, paſce oues meas, quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cœlis, quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*, ita Gloſſa *in cap. non autem 7. quæſt.* 1. Sotus *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 2. *art.* 5. Iacobatius *de Concilio lib.* 4. *art.* 3. *num.* 4. Gerſon. & alij apud Azorium 2. *part. lib.* 4. *cap.* 12. & apud Suarez *tomo de fidei defenſ. lib.* 3. *cap.* 10. *& ſeqq.* contra Armacanum, Ocham, & alios.

Hinc ſequitur primò non poſſe creari duos Pontifices, qui ſupremam in ſolidum in toto orbe iuriſdictionem habeant, vt patet, tum ex allata ratione, tum quia Papa poteſtatem habet

bet in vniuerſas Chriſti oues: tunc autem Papa, huiuſmodi poteſtatem in vniuerſas Chriſti oues non haberet; nam vterque Pontifex eſſet Chriſti ouis, & tamen alter in alterum poteſtatem non haberet, cùm par in parem non habeat imperium, *l. nam & magiſtratus, ff. de recept. arbitr. cap. inferior, & cap. denique 21. diſtinct.*

Secundò, ſequitur creari non poſſe duos Pontifices, quorum neuter quidquam poſſit ſine altero, ſed omnia ſimul ambo præſtare debeant. Ratio eſt, tum quia id pugnat cum Chriſti inſtitutione: Chriſtus enim vnum inſtituit, & auctoritatem independenter ab altero contulit, tum quia Summa Pontificis poteſtas hoc pacto minueretur.

Tertiò, ſequitur creari non poſſe duos Pontifices, quorum alter poteſtatem habeat in Oriente, alter in Occidente, tum quia Chriſtus vnum tantum Pontificem inſtituit, cui vniuerſam Eccleſiæ curam demandauit: tum quia Eccleſia duo haberet capita, nec ab vtroque influxum reciperet, quod eſt contra naturam capitis.

Obiicies primò, Linus Pontificiam poteſtatem habuit, & exercuit viuente Petro: ergo duo Pontifices in ſolidum eodem tempore eſſe poſſunt. Reſpondeo Linum tunc temporis

O fuiſſe

fuiſſe Petri coadiutorem, & cooperatorem, non autem Chriſti Vicarium,& Papam,vt ſuperiùs docui, idémquè habetur in Chronologico, quod geſta Summorum Pontificum ſummariè percenſet.

Obiicies ſecundò, duo poſſunt eſſe Imperatores, & duo creari poſſunt eiuſdem Eccleſiæ Antiſtites: ergo & Pontifices. Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis deſumitur ex inſtitutione Papatus, Chriſtus enim vnum Vicarium inſtituit, non plures ſimul;iure vero diuino interdictum non eſt,plures creari Imperatores, vel Antiſtites vnius certæ Eccleſiæ, vide Thomam Campegium *de Concilio c.* 16. vbi quærit an duo eſſe poſſint Imperatores.

## *EPILOGVS, SEV breuis enumeratio eorum, quibus in hac prima diſputatione oſtendimus ſubſtantiam electionis vitiari, & euerti.*

1 SI eligatur fœmina,iuxta dicta, quæſt.2. num.1.

2 Si eligatur vir vſu rationis carens, q.2.n.2.

3 Si

3 Si eligatur vir non baptizatus, quæſt. 2. num. 8.

4 Si eligatur Hæreticus, quæſt. 2. num. 9.

5 Si eligatur aliquis per ſimoniam ab Electoribus, aut electo commiſſam: hic enim non ſolum ea vice inualidè eligitur, verum etiam inhabilis efficitur, qui in futurum eligatur, quæſt. 2. num. 10. & ibidem toto §. vnico,

6 Si electus non conſentiat electioni de ſe factæ, quæſt. 2. num. 4.

7 Si electio non fiat in Conclaui, aut fiat in Conclaui nondum clauſo, tota quæſt. 3.

8 Si electio liberè non fiat, ſed per impreſſionem, ſeu metum grauem, quæſt. 1. puncto 2.

9 Si electio alia ratione fiat, quàm per ſcrutinium, compromiſſum, vel quaſi inſpirationem, conſequenter electio facta per adorationem hoc tempore irrita eſt, quæſt. 5. num. 3. & ibidem puncto 1. n. 5.

10 Si electio per ſcrutinium fiat ſuffragiis ſchedularum non ſecretis, quæſt. 5. puncto 1. num. 3.

11 Si plures in ſchedula ſcrutinij nominentur, illud enim ſuffragium irritum eſt, conſequenter ſi eo ſuffragio numerus ſuffragiorum ad electionem requiſitus

compleatur electio irrita eſt, quæſt.5. puncto 1.num.2.

12 Si is qui vni in ſcrutinio ſuffragatus eſt, eidem ſuffragetur, & in acceſſu, ſuffragium acceſſus inualidum eſt, conſequenter non prodeſt ad electionem, quæſt.1.puncto 3.num.2

13 Si in electione per compromiſſum, non ſeruetur forma à Compromittentibus præſcripta, quæſt.5.puncto 2.

14 Si in electione, *quaſi per inſpirationem* tractatus de ſpeciali perſona præcedat, aut non adſit conſenſus omnium, expreſſus verbo *eligo*, voce prolato, aut ſaltē ſcripto ſi ore proferri nequeat, q.5.punct.3.

15 Si elector ſeipſum eligat; ipſius enim ſuffragium ſibi non prodeſt, quamuis ipſe in numero Cardinalium in Conclaui exiſtentium connumerandus ſit, q.5. puncto 1.num.11.

DISPV

# DISPVTATIO SECVNDA.

## *De Cenſuris, occaſione creationis Romani Pontificis editis.*

PLVRES cenſuræ occaſione creationis Papæ in Pontificiis conſtitutionibus reperiuntur, quarum

Prima, eſt contra facientes ſponſiones ſuper vita, morte, & futura electione Summi Pontificis.

Secunda, contra ambientes Papatum.

Tertia, contra dominos temporales, qui Sede vacante non obſeruant ſibi præſcripta circa Romani Pontificis electionem.

Quarta, contra mittentes litteras, vel nuncium, aut alloquentes Cardinales in Conclaui exiſtentes.

Quinta, contra occupantes bona Cardinalium in Conclaui exiſtentium.

Sexta, contra Cardinales ſimoniam committentes in electione Papæ.

Septima, contra Cardinales non ſeruantes formam electionis, & alia quæ ipſis in Gregor. XV. conſtitutione iniunguntur; de his ſingulis gradatim, & ſingillatim agere decreui.

# QVÆSTIO I.

## *De pœna excommunicationis contra facientes ſponſiones, ſeu excommiſſas ſuper vita, morte, & futura electione Pontificis, aut ſuper promotionibus Cardinalium.*

### SVMMARIVM.

1 *Refertur textus in quo iſta excommunicatio continetur.*

2 *Aſsignatur materia iſtius excommunicationis.*

3 *Sponſio, vel quilibet alius contractus ſuper morte, vel futura electione Summi Pontificis, aut ſuper promotione alicuius Cardinalis, punitur pœna excommunicationis.*

4 *Sponſionem fieri permittens in ſuis terris ſu-*

*per*

*per vita, morte, vel electione Pontificis, aut promotione Cardinalis punitur pœna excommunicationis.*

5 *Idem dic de conſulente, auxiliante, aut conſenſum præſtante.*

6 *Paruitas materiæ videtur ab hac cenſura excuſare.*

7 *Enumerantur perſonæ, quæ huic excommunicationi ſubiiciuntur.*

8 *Abſolutio iſtius excommunicationis reſeruata eſt.*

9 *Abſolutio an valida ſit nondum facta reſtitutione.*

QVATVOR principaliter in hac quæſtione explicabo, primò vtrum facientes præfatas ſponſiones excommunicationi ſubiiciantur; Secundò quænam ſit materia iſtius excommunicationis; Tertiò, quódnam ſit ſubiectum; Quartò, quis eius abſolutionem conferre poſſit.

## PRIMA PROPOSITIO.

1 FAciens ſponſionem, ſeu excommiſſam ſuper vita, morte, aut electione Papæ, aut ſuper promotione Cardinalium, excommunicationem ipſo facto incurrit, & aliis pœ-

nis afficitur. Ratio eſt, quia Gregor. XIV. vt occurreret incommodis, quæ ex prædictis ſponſionibus facilè ſequi potuiſſent in Bulla *cogit nos deprauata*, irritat omnes promiſſiones, etiam iuramento vallatas, efficit promittentes inhabiles ad acquirendum pecuniarum dominium, etiamſi ſolutæ, aut datæ, ſeu remiſſæ, aut condonatæ fuerint, ſed ad eas locis piis illius ciuitatis, in qua ſponſiones factæ fuerunt, vel potius vbi primum detectæ fuerunt, reſtituendas obligat, etiam in foro conſcientiæ ante ſententiam Iudicis: nam Summus Pontifex ſtatuit huiuſmodi pecunias præfatis locis acquiri, & contrahentes ad reſtitutionem, ſeu elargitionem iiſdem piis locis in vtroque Foro teneri, an autem hæc Bulla fuerit cum tanto rigore in hac parte vſu recepta, quiſque poteſt praxim conſulere.

Præterea idem Gregorius Eccleſiaſticas perſonas huius criminis reas, priuat omnibus dignitatibus, beneficiis, & officiis, ac ad illa inhabiles reddit. Denique contra omnes delinquentes excommunicationem ipſo facto imponit, cuius abſolutionem Summo Pōtifici pro tempore exiſtenti reſeruat, excepto mortis articulo cum præuia reſtitutione pecuniarum, occaſione huiuſmodi ſponſionum perceptarum. Hæc eſt ſummaria compilatio eorum

quæ

quæ in præfata Gregorij XIV. bulla continentur.

## SECVNDA PROPOSITIO.

2 MAteria iſtius excommunicationis eſt, triplex actio in hac Bulla expreſſa.

3 Prima actio eſt ſponſio, ſeu promiſſio, conuentio, pactum, ſeu contractus nominatus, vel innominatus, ſuper vita, morte, futura electione Summi Pontificis, tam eo viuente, quàm Sede vacante; aut ſuper promotione Cardinalis. Iſta actio perſpicuè exprimitur in illis verbis, *Pij Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, qui pariter hoc ipſum ſuper futura Pontificis electione fieri prohibuit veſtigiis inhærentes, de tributæ à Domino poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine, hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione, damnamus, & reprobamus, omnes, & quoſcunque ſponſiones, promiſsiones, ſtipulationes, conuentiones, aut pacta, excommiſſas vulgò dictas, quóuis nomine, aut vocabulo appellatas. Quas ſiue per cedulas, vt aiunt, vel apochas, aut alio quocunque publicæ, aut priuatæ Scripturæ, aut chirographi genere, vel per Menſariorum, aut Mercatorum libros, aut partitas, vt dicunt, ſeu verbo tantum data fide, aut facto depoſito certæ pecuniarum ſummæ, vel & cuiuſuis alterius rei pretio æſtimabilis, aut aliàs quoquo mo-*

*do, vel ſub quáuis nominati, aut innominati contractus forma, aut conditione in euentum vitæ, aut mortis, vel futuræ creationis Romani Pontificis, tam eo viuente, quàm Apoſtolica Sede vacante, aut in euentum promotionum S. R. E. Cardinalium, poſt hac in quibuſuis Chriſtiani orbis Regnis, Dominiis, Prouinciis, Ciuitatibus, Terris, & locis vbilibet gentium, aut locorum iniri quandocunque contigerit.*

4 Secunda actio eſt permiſſio dictarum ſponſionum reſpectu perſonarum publica auctoritate fungentium, quæ prædictas ſponſiones tacitè, vel expreſsè in locis ſibi ſubiectis fieri permittunt. Idem militat in Conſiliariis, Magiſtratibus, Poteſtatibus, Gubernatoribus Præfectis, aut Locum-tenentibus, prædictarum perſonarum publicarum, vt patet ex illis verbis, *Vlteriùs etiam in eos, qui talta patrare, & huic noſtræ conſtitutioni contrauenire præſumpſerint, tam ſi prædictis, quæ hic pro expreſsis habeantur, quàm ſi quibuſuis mundanis etiam Ducalibus, Regiis, Imperialibus dignitatibus fungantur, ac etiam in eoſdem, vel alios, qui id in terris, vel locis, Ciuitatibus, ac Dominiis ſibi ſubiectis, tacitè, vel expreſsè fieri permiſerint, eorúmque Conſiliarios, Magiſtratus, Poteſtates, Gubernatores, Præfectos, aut Locum-tenentes.*

Tertia actio eſt auxilium, conſilium, fauorem,

rem, aut conſenſum in præmiſſis præſtare, aut proxenetam, vel mediatorem eſſe, nam in Bulla dicitur, *corúmque ſingulos qui pariter conſenſum, auxilium, conſilium, vel fauorem in præmiſſis præſtiterint, ac in quoſcunque proxenetas, vel mediatores excommunicationis ſententiam, per eaſdem præſentes ferimus, & promulgamus, eoſque ipſo facto abſque aliqua monitione, aut declaratione, ſeu Iudicis decreto, aut miniſterio excommunicationis ſententiam incurrere volumus, à qua eorum nullus ab alio, quàm à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo, & quoad eos, qui pecunias, vel aliud quidpiam præmiſſorum occaſione perceperint, etiam præuia reſtitutione integra pecuniarum eiuſmodi occaſione perceptarum, abſolui poſsit, aut debeat.*

An autem ob huiuſmodi actiones hoc tertio loco expreſſas ſtatim incurratur excommunicatio, ante ſecutas ſponſiones, &c. patet, ex ſæpiùs alibi dictis non incurri, quia ſunt acceſſoriæ. Idem dicendum cenſet, de ſecunda actione, ſeu potius omiſſione, quæ conſiſtit in permiſſione huiuſmodi ſponſionum, huiuſmodi enim omiſſio contingit, dum non impeditur actio, quæ alioqui impedienda fuiſſet.

6 An autem paruitas materiæ ab hac cenſura excuſet, patet ex regulis generalibus excuſare, vt etiam in ſimili docui, de datis, vel promiſſis,

miſſis, pro gratia, vel iuſtitia in Romana Curia obtinenda.

## TERTIA PROPOSITIO.

7 SVbiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli contra præfatam Bullam delinquentes; diſpoſitio enim generaliſſima eſt, vt apertè conſtat ex verbis textus in ſecunda propoſitione relatis. Nonnullæ difficultates circa pœnas, quæ in hac Bulla ponuntur hîc explicari poſſent. Verùm quia textus ſatis clarus eſt, & huiuſmodi difficultatum ſolutio facilè colligitur ex regulis generalibus traditis *de cenſuris in genere, de legibus, & de aliis cenſuris in particulari.* Diutius hîc non inſiſtam.

## QVARTA PROPOSITIO.

8 ABſolutio iſtius excommunicationis reſeruata eſt Summo Pontifici excepto mortis articulo, in quo abſolutio impendi poteſt; ſi pœnitens pecuniam occaſione ſponſionis receptam reſtituit; nam in præcitata Gregorij Bulla dicitur, *A qua eorum nullus ab alio, quàm à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo, & quoad eos qui pecuniam,*

*cuniam, vel aliud quidpiam præmiſſorum occaſione perceperint, etiam præuia reſtitutione integra pecuniarum, eiuſmodi occaſione perceptarum, abſolui poſsit, aut debeat.*

9 Sed modò dubium ſuboritur, vtrum is, qui pecuniam occaſione ſponſionum accepit, validè abſoluatur in articulo mortis, aut ab habente priuilegium abſoluendi, etiamſi nondum reſtituit ea, quæ cauſa ſponſionum accepit. Reſpondendum mihi videtur validè abſolui poſſe, modò pœnitens intentionem habeat reſtituendi quamprimum commodè poterit. Ratio eſt, tum quia non irritatur abſolutio aliter impenſa; tum quia ablatiuus ille abſolutus (*etiam præuia reſtitutione integra pecuniarum huiuſmodi occaſione perceptarum*) non importat conditionem neceſſariam, ſed præceptum quo admonetur Confeſſarius de eo, quod curare tenetur, vide quæ tradidi *de cenſuris in genere, diſp.* 1. *q.* 3. *puncto* 9. cum Sanchez, Auila, & aliis.

QVÆ

# QVÆSTIO II.

## *De pœna excommunicationis contra ambientes Papatum, aut tractantes de electione Pontificis, ipſo adhuc viuente.*

### SVMMARIVM.

1 *Refertur textus in quo iſta excommunicatio continetur.*

2 *Aßignatur materia iſtius excommunicationis.*

3 *Ambiens, ſeu procurans Papatum incurrit excommunicationem, etiamſi id faciat viuente Summo Pontifice.*

4 *Quid ſit ambire, & vtrum ambiens poſt mortem Summi Pontificis ligetur excommunicatione, ſaltem ſi per ſimoniam procuret.*

5 *Electionem Summi Pontificis attentans ipſo viuente, ſeu inconſulto excommunicationem incurrit.*

6 *Summi Pontificis electionem conſulens, non incurrit excommunicationem.*

7 *Aſsigna*

7 *Aſsignatur ſubiectum iſtius excommunicationis.*

EXPLICANDVM eſt primò, vtrum iſta pœna edita ſit contra ambientes Papatum; ſecundò, quænam ſit iſtius excommunicationis materia; tertiò, quódnam ſit ſubiectum; quartò, vtrum abſolutio iſtius excommunicationis Summo Pontifici reſeruata ſit.

## PRIMA PROPOSITIO.

1 COntra ambientes Papatum, aut tractantes de electione futuri Pontificis, viuente adhuc Pontifice, eóque inconſulto, lata eſt excommunicatio ipſo facto; cùm enim ille qui abſque conſenſu Principis, tractat de ſucceſſore illius deligendo, reus ſit criminis læſæ Maieſtatis, ex Baldo *in l. quoniam liberi, C. de teſtibus*, iure merito Paulus IV. *in Bulla* 16. in ordine quæ incipit, *cùm ſecundum Apoſtolum*, ad euitandum periculum captandæ mortis Summi Pontificis, & alia incommoda primo loco confirmat cenſuras, & pœnas quomodolibet latas, contra eos, qui Papatum ambiunt, & ſimoniam ea occaſione committunt. Deinde tractantes de eligendo futuro Pontifice,

fice, inconſulto Pontifice viuente, non ſolum excommunicat, verum etiam priuat omnibus dignitatibus, officiis, fructibus, voce actiua, paſſiua, inhabiléſque ad ea omnia reddit, & infamiæ notam iniungit. Rurſus eaſdem cenſuras, & pœnas extendit ad eos omnes qui conſilium, auxilium, opem, vel fauorem præſtant, aut alio quouis modò ſe immiſcent, niſi hoc quamprimum poterunt per ſe commodè, vel per alium reuelarint. Denique contra impugnantes hanc Bullam, excommunicationem ipſo facto imponit, & contra ipſos tanquam Schiſmaticos, & Hæreticos inquiri mandat; hæc omnia prolixiùs exprimuntur in præcitata Pauli IV. Bulla.

## SECVNDA PROPOSITIO.

2 MAteria iſtius excommunicationis ſunt actiones in hac Bulla expreſſæ.

3 Prima actio eſt, ambire, ſeu procurare Papatum, præſertim ſi hac occaſione, & eius cauſa ſimonia committatur; nam Paulus IV. confirmat cenſuras, & pœnas à Pontificibus, & Conciliis impoſitas contra ambientes hoc pacto Papatum. Vna autem ex pœnis eſt excommunicatio, vt patet ex tertia Bulla Iulij II. quæ incipit, *Cùm tam Diuino, quàm humano iure*, vt explicaui *de cẽſuris in particulari, q.7. punct.* 1.

Hinc

Hinc ſequitur eum, qui Papa viuente procurat, vel quodammodo ſubharrat ſuffragia Cardinalium, vt in futurum Papam eligatur, affici hac excommunicatione, quia dicitur ambire Papatum.

4 Sed modò dubium eſt primò, quid ſit ambire Papatum. Reſpondeo idem eſſe, quod inordinata cupiditate Papatum quærere: ambitio enim ex S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 131. *art.* 1. & aliis DD. communiter eſt inordinata cupiditas honoris, & dignitatis, tunc autem cupiditas inordinata eſt, dum quæritur dignitas mediis illicitis, ſeu prohibitis, vt in noſtro caſu, in quo vetitum eſt procurare Papatum viuente Pontifice, ob periculum captandæ illius mortis; dicitur autem ambitus ab ambiendo, id eſt circumeundo, eo quod ambiens dignitatem, nunc iſtum, nunc illum adeat, vt dignitatem conſequatur, & hoc dicitur crimen adfectati honoris, vetitum *in l. Iulia*, ambitus à Caïo Ceſare Octauiano, teſte Sueton.

5 Secundò dubium eſt, vtrum excommunicatio incurratur, tam ab eo qui Papatum ambit viuente Pontifice, quàm eo mortuo. Reſpondeo ambientem Papatum viuente Pontifice affici excommunicatione Pauli IV. ambientem verò poſt mortem Pontificis ligari excommunicatione Iulij II. ſi Pa-



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

patum ambiat, ſeu procuret per ſimoniam: nam Iulius II. *in Bulla* 3. quæ incipit, *Cum tam diuino*, excommunicationem tulit contra Cardinales, qui Sede vacante ſimoniacè eligunt, dando, promittendo, vel recipiendo: eadem Bulla recepta fuit in Concilio Lateranenſi *ſect.* 5. ſub Leone X. cum excommunicatione contra ſimoniacè procurantes poſt mortem vnius Pontificis eligi in futurum Pontificem; vide Concilium Lateranenſe citatum ſupra *quæſt.* 2. §. *vnico*.

6 Tertiò dubium eſt, vtrum exoptans Papatum grauiter peccet. Reſpondeo negatiuè per ſe loquendo, etiamſi appetat ob eximiam gradus dignitatem, & ob bona temporalia. Ratio eſt, tum quia ad hoc facit illud tritum ſermone prouerbium ex Apoſtolo deſumptum, *qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*; tum quia licitum eſt expetere, quod licitum eſt recipere, cùm non magis peccaminoſa ſit intentio, quàm ipſum opus intentum, ſed licitum eſt Papatum recipere; ergo etiam licitum eſt expetere; tum quia ſequeretur infinitos Clericos, & Eccleſiaſticos expetentes Eccleſiaſticas dignitates, in ſtatu damnationis perſiſtere, quod arduum, & durum videtur.

Idem dicendum eſt de eo, qui Papatum

procu

procurat, modò actionem aliquam, in hac Bulla, vel in aliis conſtitutionibus, de quibus *ſuprà quæſt.* 3. & infrà *in hoc puncto* prohibitam non exerceat.

Dixi *per ſe loquendo*, quia per accidens ratione alicuius circumſtantiæ mortaliter peccaminoſa culpa grauis incurri poteſt: actus enim malitiam ſumit, non ſolum ab obiecto, & fine proximo, verum etiam à remoto, & à circumſtantiis, vt docui *de peccatis*. vide S. Tho. 2.2. *quæſt.* 185. Valentiam 2.2. *quæſt.* 185. *art.* 1. *puncto* 2. *concl.* 3. Nauarr. Miſcellan. 37. & 38. Platum *de Cardinal. dignit. cap.* 28. Scortiam *in ſelectas conſtit. Theoremat.* 178. & alios, quos in ſimili retuli *de beneficiis*.

Hinc ſequitur primò, eum qui Papatum appetit, vt conſanguineos modo licito locupletare poſſit, non eſſe reum lethalis culpæ.

Secundò eum, qui ſe Pontificatu indignum nouit, grauiter peccare Papatum appetendo, ſicut enim hic Papatum licitè recipere non poteſt, ita neque appetere, niſi fortè appetat ſub conditione ſi dignus eſſet; actus enim deſiderij, qui aliàs turpis eſſet, licitus efficitur, addita conditione, qua poſita turpitudo ab actu aufertur, vt probaui *de matrimonio*, & *de peccatis*.

7 Maior difficultas eſt, vtrum is qui ſe di-

gnum credit, ſed nonnullos alios digniores animaduertit, grauiter peccet optando ſe dignioribus præferri. Reſpondeo affirmatiuè iuxta probabiliorem ſententiam. Ratio eſt, quia ſicut Electores tenentur digniorem cæteris paribus eligere, & præferre, vt benè Nauarr. *Miſcellan.* 38. & Platus *cap.* 31. ita alter optare non poteſt ſe dignioribus præferri, quoties certò nouit illos eſſe digniores; ſi verò certè non nouit, optare poteſt ſe aliis præferri, ſi Cardinalibus viſus fuerit dignus, qui cæteris præferatur; tunc enim grauis peccati reus non eſt, cùm alieno iudicio ſe ſubmittat, vt patet ex dictis *de beneficiis*, dum loquerer de illo, qui ad concurſum beneficij accedit, animaduertens alios eſſe digniores, & *de contractibus diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 1. *num.* 13.

Dices ſi hoc verum eſſet, ſequeretur multos Pontifices lethalis culpæ reos eſſe, dum Pontificiam dignitatem acceptant, animaduertentes alios digniores prætermitti ſéque dignioribus præferri. Reſpondeo Pontifices poſſe in tali euentu conquieſcere, ſéque eligentium conſcientiæ remittere, & accommodare, cùm fieri poſſit, vt ſuo iudicio decipiatur, nec in propria cauſa iudex quis eſſe valeat, & hæc de prima actione.

8 Secunda actio eſt, tractare, vel tentare de electione

electione futuri Pontificis, viuente adhuc & inconſulto Papa, & hoc verum eſt, ſiue fiat per ſe, ſiue per alium, ſiue fiat verbis, ſiue ſcriptis, ſiue nunciis; in textu enim dicitur, *qui per ſe, vel alios, nobis viuentibus, & inconſultis verbis, aut ſcriptis, aut nunciis cum aliquo de futuro Pontifice eligendo hactenus tractarunt, vel tentarunt, ſeu in poſterum Romano Pontifice viuente, & inconſulto tractabunt, vel tentabunt*, vide Bald. *in l. quoniam liberi, C. de teſtibus.* Azorium 2. *parte lib.* 4. *cap.* 2. *quæſ.* 15. Scortiam *in ſelectas conſtitut. theoremat.* 180.

Hinc ſequitur primò, eos affici excommunicatione, qui conuenticulas faciunt, ſeu ex animo tractant, quo pacto ſe gerere debeant, vt talis in Papam eligatur, ſeu quam rationem inire debeant, vt Cardinales ad iſtum eligendum inducantur, poſtquam hic, qui modo viuit, è viuis deceſſerit, iſti enim dicuntur tractare de futuro Pontifice eligendo, & rei ſunt criminis læſæ-Maieſtatis, ex Bald. *loco citato*; idem dic de eo, qui curat ſibi fidem dari, ſeu promitti, quòd talem eliget. An autem hoc etiam vetitum ſit in Bulla Greg. XV. conſtat *ex ſupradictis quæſt.* 1.

Secundò eum non affici excommunicatione qui interrogatur, vel interrogat quiſnam futurus ſit ſucceſſor huius Pontificis; hoc

enim non eſt tractare de futuro Pontifice eligendo, ſed ſpeculatiuè, & per cõiecturas loqui.

Tertiò eum vinculo huius cenſuræ non obſtringi, qui affirmat talem Cardinalem exculturn, & ornatum eſſe iis qualitatibus, quæ Pontifici ineſſe debent, hoc enim non eſt agere de futuri Pontificis electione, ſed de iis qui digni ſunt, & eligi poſſunt; illud enim ad praxim pertinet, hoc ad ſpeculationem, ſeu ſimplicem narrationem.

9 Tertia actio eſt auxilium, conſilium, operam, fauorem, promiſſionem verbis, vel ſcriptis, re, vel facto, aut alio quóuis modo directè, vel indirectè, principaliter, vel incidenter præſtare, complices eſſe, ſeu quauis ratione ſe immiſcere circa electionem futuri Pontificis Papa adhuc viuente, & inconſulto; niſi fortè id, quamprimum commodè poterunt, reuelauerint Papæ pro tempore exiſtenti, aut alteri ad hoc deputato; iſta actio pluribus verbis exprimitur in præcitata Bulla, ibi, *Quódque ſimiles ſententias cenſuras, & pœnas reſpectiuè incurrerint, & incurrant ipſo iure, & facto, ac ſine alicuius ſententiæ prolatione, omnes & ſinguli etiam, vt præmittatur qualificati, & dignitatibus huiuſmodi præditi, cuiuſuis ſexus, & ordinis exiſtant, qui per ſe, vel alium, ſeu alios à die noſtræ ad Summi Apoſtolatus apicem aſſumptionis, vſque in hanc diem*

*diem in præmiſsis,aut eorum aliquo quoduis auxilium,conſilium,vel fauorem,ſeu operã, verbis, vel ſcriptis,aut re,vel facto,ſeu promiſsione , pollicitatione,ſuaſione,vel his omnibus inſimul, aut quouis alio modo,directè,vel indirectè,principaliter , vel incidentaliter præſtiterint ,ſeu in futurum quoties etiam ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum tempore præſtabunt,aut in præmiſsis mediatores,proxenetæ, Nuncij, Mandatarij, Procuratores, ſeu Trapezitæ fuerunt,vel in poſterum,vt præfertur:erunt ſeu aliàs ſe in præmiſsis quouis modo intromiſerint , vel immiſcuerint , ſeu in poſterum, etiam tempore ſucceſſorum huiuſmodi habebunt, niſi ea nobis,aut ſucceſſoribus noſtris quorum tempore id continget, vel alteri cui id per nos,vel ſucceſſores prædictos commiſſum fuerit , per ſe , vel alium , ſeu alios cumprimùm commodè potuerunt, reuelarint , etiamſi in præmiſsis aliquod aliud auxilium,conſilium,vel fauorem,&c.*

10 Sed modò dubium eſt primò,vtrum qui alteri conſilium dat,vt agat de electione Summi Pontificis,ſtatum in excommunicationem incidat. Reſpondeo negatiuè , quia hæc eſt actio acceſſoria,vt patet ex illis verbis , *in præmiſsis , aut eorum aliquo quoduis auxilium , conſilium,vel fauorem,* &c. ob actionem autem acceſſoriam non incurritur excõmunicatio nondum poſita actione principaliter prohibita.

Addo neque in excommunicationem incidere, ſtatim ac ſecuta eſt actio principalis, ſed quando commodè potuit admonere Pontificem, vel alium ad hoc deputatum, & non admonuit, cenſura enim non eſt impoſita abſolutè, ob actiones acceſſorias, ſed ſub hac conditione, niſi hoc reuelauerint, cumprimùm commodè potuerint, vide quæ in ſimili dixi *de excommunicatione*, quæ ob duellum contrahitur *puncto* 50.*diſp*.2.*quæſt*.2.*de cenſuris in particulari*.

11 Quarta actio eſt, impugnare iſtam conſtitutionem dicendo eſſe iniuſtam, inualidam in totum, vel in partem, ſic enim in dicta Bulla decernitur, §.5.

## TERTIA PROPOSITIO.

12 SVbiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes, & ſinguli tam maſculi, quàm fœminæ, tam Laici, quàm Eccleſiaſtici, etiamſi Regia, vel Imperiali dignitate fulgeant, nam Paulus IV. hos omnes apertiſſimis verbis exprimit, & comprehendit *in* §.2. *verſ.Nec non quoſcunque*, &c.

An autem præfati delinquentes alias pœnas in eadem Bulla ſancitas ſtatim incurrant, conſtat ex dictis *de legibus*, vbi regulas generales tradidi.

QVAR

## QVARTA PROPOSITIO.

ABſolutio iſtius excommunicationis Summo Pontifici reſeruata eſt ; nam Paulus *in præcitata Bulla*, ſic ait, *& ab excommunicatione, & maledictione huiuſmodi, per alium, quàm per nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, præterquam in mortis articulo, abſolui non poſsint.*

# QVÆSTIO III.

## *De excommunicatione contra Dominos temporales, & Officiales Ciuitatis in qua electio Summi Pontificis facienda eſt.*

### SVMMARIVM.

1 *Domini temporales non ſeruantes præſcripta Sede Apoſtolica vacante ligantur excommunicatione.*

2 *Enumerantur ea quæ ſeruanda ſunt à Dominis temporalibus Sede vacante.*

3 *Aſsignatur materia iſtius excommunicationis.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

4 *Aſsignatur ſubiectum eiuſdem.*

5 *Abſolutio iſtius excommunicationis non eſt reſeruata.*

QVATVOR in hac quæſtione explicabo; primò, an præfati Domini, & Officiales ſint ipſo facto excommunicati; ſecundò, quænam ſit materia illius excommunicationis; tertiò, quódnam ſit ſubiectum ſeu quínam Domini, & Officiales huic cenſuræ ſubiiciantur; quartò, an abſolutio iſtius excommunicationis Summo Pontifici reſeruata ſit.

## PRIMA PROPOSITIO.

1 DOmini temporales, & alij Rectores, & Officiales Ciuitatis, in qua electio Summi Pontificis facienda eſt, ligantur excommunicatione, ſi obſeruari non faciant ea, quæ præſcribuntur *in cap. vbi periculum, de electione*, nam in præfato capite ſtatuitur, vt Domini, & Officiales illius Ciuitatis in qua mortuus eſt Summus Pontifex, & in qua electio noui Pontificis facienda eſt, præſtent iuramentum perſonaliter coram Clero, & populo Ciuitatis, quo iurent ſe obſeruaturos, & obſeruari facturos ea, quæ in præcitato textu habentur,

bentur, etſi ea non obſeruauerint, cuiuſcunque ſint ſtatus, & conditionis, omni ceſſante priuilegio, excommunicationem ipſo facto incurrant; ſint perpetuò infames, inhabiles ad dignitates, & officia, feudis, & bonis Eccleſiaſticis priuati, & Ciuitas ſit interdicta, & priuata Epiſcopo.

2 Quæres quænam in præfato cap. contineantur, quorum obſeruantiam Domini temporales procurare debent.

Reſpondeo plura contineri, Primò, vt Electio poſt decem dies ab obitu Pontificis celebretur in Ciuitate, in qua Pontifex cum ſua Curia reſidebat; ſi verò periit extra Ciuitatem, in qua cum ſua Curia non reſidebat, electio fiat in Ciuitate in cuius territorio Pontifex ex hac vita migrauit, niſi fortè ea Ciuitas interdicta ſit, aut rebellis contra Romanam Eccleſiam; tunc enim electio facienda eſt in alia proximiori Ciuitate, quæ huiuſmodi vitio non ſit infecta.

Secundò, vt nullus ad Cardinales in Conclaui exiſtentes accedat, exceptis ſeruientibus, nec ipſos ſecretò alloquatur, vel nuncium mittat, vt ex dicendis *quæſt. proximè ſequenti*, conſtabit.

Tertiò, vt ſi Cardinales intra tres dies poſtquam Conclaue ingreſſi fuerunt Pontificem non

non elegerint, vnicum ferculum tam in prandio, quàm in cœna quinque dierum ſpatio recipiant, quibus diebus elapſis, ſi electio ſecuta non fuerit, panis ſolùm, vinum, & aqua tribuatur donec electionem perfecerint.

Exiſtimo tamen Cardinales non teneri ſub mortali hanc regulam de abſtinentia à cibis obſeruare, quia Pontifex non vtitur forma loquendi præceptiua ſub mortali; ait enim *vnico ferculo ſint contenti*, & infrà, *ex tunc tantummodo panis, vinum, & aqua miniſtretur eiſdem, donec eadem prouiſio ſubſequatur*: Ergo ſi aliquid aliud ipſis miniſtretur, veſci poſſunt; quia vetitum eſt potius miniſtrare, quàm recipere, & frui.

Quartò, vt Cardinalis ſuperueniens poſt ingreſſum aliorum in Conclaue, & nondum facta electione, admittatur in eodem negotio, in illo ſtatu, in quo ipſum inuenerit, vide præcitatum textum §. *hoc ſacro*.

## SECVNDA PROPOSITIO.

3 MAteria iſtius excommunicationis conſiſtit primò in omiſſione, ſeu negligentia ad faciendum obſeruari ea, quæ in præfato capite circa Summi Pontificis creationem præſcribuntur; verum tamen eſt non ſufficere quamlibet negligentiam, ſed requiri

grauem,

grauem, & ſufficientem ad mortale peccatum, excommunicatio enim non incurritur, niſi ob mortale peccatum.

Secundò, in commiſſione fraudis in iis, vel circa quæ in prædicto capite circa præfatam creationem decernuntur. Hæc propoſitio, patet ex illis verbis, *Quòd ſi præmiſſa non diligenter obſeruarint, aut ſi fraudem in eis, vel circa ea commiſerint, cuiuſcunque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, omni ceſſante priuilegio, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant, & perpetuò ſint infames.*

## TERTIA PROPOSITIO.

4 SVbiectum iſtius excommunicationis, ſunt omnes Domini, aliíſque Rectores, & Officiales illius loci, in quo Summi Pontificis electio facienda eſt, delinquentes contra iſtam conſtitutionem, vt patet, tum ex præcitatis verbis, *Cuiuſcunque ſint præeminentiæ*, &c. tum ex illis, *Domini, aliíque Rectores, & Officiales Ciuitatis illius.*

Hinc ſequitur non ſolum Laicos, verùm etiam Eccleſiaſticos contra iſtam conſtitutionem delinquentes affici excommunicatione huius capitis, quia textus generaliter loquitur de Dominis, Rectoribus, & Officialibus illius Ciuitatis, in qua Romani Pontificis facienda eſt

eſt electio, cuiuſcunque ſint præeminentiæ conditionis, aut ſtatus.

## QVARTA PROPOSITIO.

5 ABſolutio iſtius excommunicationis Summo Pontifici reſeruata non eſt, quia in præfato textu nullum adeſt verbum, quod reſeruationem ſignificet; an autem interdictum locale poſitum contra Ciuitatem, prædictorum Dominorum auferri poſſit à Confeſſario, vel Epiſcopo, conſtat ex regulis generalibus traditis *de cenſuris in genere*, vbi negatiuè reſponſum fuit.

# QVÆSTIO IV.

## *De excommunicatione contra eos, qui Cardinalibus in Conclaui exiſtentibus, litteras, vel nuncium mittunt, vel ſecretò loquuntur.*

### SVMMARIVM.

1 *Refertur textus in quo iſta excommunicatio continetur.*

2 *Aſsigna*

2 *Aſsignatur materia iſtius excommunicationis.*

3 *Litteras mittens Cardinali in Conclaui exiſtenti, non ligatur excommunicatione, ſi litteræ ad Cardinalem non perueniunt.*

4 *Litteras Cardinali in Conclaui exiſtenti mittens ligatur excommunicatione, ſiue ſecretè, ſiue publicè mittat.*

5 *Aſsignatur ſubiectum iſtius excommunicationis.*

6 *Cardinales in Conclaui exiſtentes vtrũ ligantur excommunicatione, ſecretè inter ſe loquendo, aut nuncium, & litteras ad ſe mittendo.*

7 *Cardinales recipientes nuncium, vel litteras, vel loquentes, cum ſecretò loquentibus grauiter peccant, ſed non ligantur excommunicatione.*

8 *Cardinalium famulus in Conclaui exiſtẽtium alloquens, non ligatur excommunicatione.*

9 *Recipiens litteras in Conclaue miſſas, quandónam ligetur excommunicatione.*

10 *Mittens Scripturam in Conclaue ligatur excommunicatione, etiamſi Scriptura non agat de Summi Pontificis electione.*

11 *Scripturam mittens in Conclaue, ligatur excommunicatione, etiamſi ea Scriptura aliquid, aliud inuoluat, aut credat fore, vt non legatur.*

12 *Litteras, ſeu ſcripta deferens in Conclaue non ligatur excommunicatione.*

13 *Scripturam breuem, ſeu modicum chirographum mittens in Conclaue, ligatur excommunicatione.*

14 *Abſolutio iſtius cenſuræ, an reſeruata ſit.*

EXPLICANDVM eſt primò, an præfati excommunicatione ligentur; ſecundò, quænam ſit iſtius excommunicationis materia; tertiò, quódnam ſit ſubiectum; quartò, vtrùm abſolutio Summo Pontifici reſeruata ſit.

## PRIMA PROPOSITIO.

1 MIttens litteras, vel nuncium Cardinali in Conclaui exiſtenti, aut ipſum ſecretò alloquens excommunicationis pœnam incurrit; hæc propoſitio, patet ex capite *vbi periculum de elect.* ibi, *nulli etiam fas ſit ipſis Cardinalibus, vel eorum alicui nuncium mittere, vel ſcripturam, qui verò contrà fecerit, ſcripturam mittendo, vel nuncium, aut cum aliquo ipſorum ſecretò loquendo, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat.*

SECVN

## SECVNDA PROPOSITIO.

MAteria iſtius excommunicationis, ſunt tres actiones, quas Summus Pontifex interdixit ne electio Papæ impediatur, aut perturbetur.

Prima actio eſt mittere nuncium Cardinalibus in Conclaui exiſtentibus, ſecunda, mittere ſcripturam, tertia ſecretò loqui.

2 Sed modò dubium eſt, primò, vtrum ad incurrendum iſtam excommunicationem, ſatis ſit mittere ſcripturam, vel nuncium, qui non perueniat ad eum ad quem mittebatur, vt quia nuncius in Conclaue, vel ad eius feneſtellam non fuit admiſſus, aut quia fuit alia ratione impeditus ne fungeretur munere, cuius cauſa mittebatur.

Reſpondeo ex vi præfati textus, opus eſſe vt perueniat ad eum ad quem mittebatur. Ratio eſt, tum quia verba cum effectu intelligenda ſunt, *l.1.§.hæc verba, ff.quod quiſque iuris, l.quoties, ff.qui ſatiſd.cog.* & *cap. ſi à iudice de appellat.lib.6.* tum quia ſicut Religioſus ſcribens litteras Monialibus non incurrit excommunicationem editam contra quoſdam religioſos ſcribentes Monialibus litteras ſi litteræ ad Moniales non perueniunt, vt docui *in tract.de clauſura*, dum loquerer de excommunicationibus,

nibus, quæ ob violationem Clauſuræ contrahuntur, ita, &c.

Ex quo ſequitur eum non affici excommunicatione præfati capitis, qui litteras alicui Cardinali ſcripſit, ſed illæ ad Cardinalem non peruenerunt, etiamſi fortè is, qui eas intercepit, eidem Cardinali ſignificauerit, quid in ipſis contineatur.

Ratio eſt, quia effectus ex parte mittentis non eſt conſumatus, hoc tamen intelligitur, modò is, qui eas intercepit, non ſignificet contenta in litteris de mandato illius qui litteras miſerat; is enim munere nuncij fungeretur.

3 Secundò dubium eſt, vtrum ad iſtam excommunicationem incurrendam neceſſe ſit, vt nuncius, vel ſcriptura ſecretò mittatur. Reſpondeo duplicem eſſe DD. ſententiam.

Prima ſuſtinet opus eſſe, vt nuncius, vel ſcriptura ſecretò mittatur. Ratio eſt, tum quia ad incurrendam iſtam excommunicationem, ob locutionem non ſatis eſt publicè loqui (in textu enim dicitur *ſecretò loquendo*;) ergo neque ſatis eſt publicè mittere ſcripturam, vel nuncium. Hæc conſequentia probatur, quia quando in aliquo ſtatuto multa prohibita recenſentur, & vltimo prohibito, adiungitur qualitas aliqua reſtrictiua, illa qualitas reſtrictiua refertur ad omnia priùs enumerata, ſed

locu

locutionis, quæ vltimo loco in præfato textu prohibetur, additur qualitas reſtrictiua, vt ſecretò fiat. Ergo eadem qualitas refertur ad actiones priùs interdictas, id eſt ad miſſionem nuncij, & ſcripturæ, tum quia in materia pœnali ſtrictior interpretatio facienda eſt, quantum patitur contextus verborum; contextus autem verborum patitur, vt illa particula *ſecretò*, referatur ad omnia antecedentia, ita Syluester *verbo excom.* 9. §. 11. *num.* 34. Angelus *verbo excom.* 7. *caſu* 13. Tabiena *excom.* 5. *caſu* 16. Geminian. Ioannes Andreas, & Archid. *in cap. vbi periculum citato.*

Secunda ſententia, quæ mihi vera videtur, aſſerit ad incurrendum præfatam excommunicationem non requiri, vt ſcriptura, vel nuncius ſecretò mittatur. Ratio eſt, quia omiſſio Scripturæ, vel nuncij abſolutè prohibetur, & illa particula *ſecretò* additur tantùm modo locutioni, vt patet conſideranti verba textus, ita Caiet. *verbo excom. cap.* 55. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 121. §. 11. Suarez *de cenſuris diſp.* 23. *ſect.* 4. *num.* 1. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 3. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 4. *quæſito* 2. *num.* 54. S. Antoninus Paludanus, Martinus Ledeſma, & alij.

4 Ex noſtra ratione, patet reſponſio ad argumenta primæ ſententiæ, prædictis addendum eſt, quòd licet prima ſententia alicui pro-

babilis fortè videri poſſit, ex vi præcitati, cap. nihilominus ex diſpoſitione Pij IV. mittens nuncium, aut litteras, aut cuiuſuis generis ſcripta, ligatur excommunicatione, ſiue ſecretò mittat, ſiue publicè, vt ad finem huius quæſt. explicabo.

## TERTIA PROPOSITIO.

5 SVbiectum iſtius excommunicationis ſunt illi, qui nuncium, vel ſcripturam mittunt, aut ſecretò loquuntur, cum Cardinalibus in Conclaui exiſtentibus, vt conſtat ex præcitato textu. Hoc tamen intelligitur, & limitatur, niſi id fiat de conſenſu omnium Cardinalium in Conclaui exiſtentium, circa ea quæ pertinent ad electionem tunc inſtantem. Ratio iſtius limitationis eſt, quia in præcitato textu facultas datur Cardinalibus, vt poſſint aliquem de conſenſu omnium Cardinalium, ibi præſentium admittere pro iis, quæ ad electionis inſtantis negotium pertinent, vt ſi vocarent Iuriſperitum, Tabellionem, vel Religioſum cauſa electionis, ita Gloſſa *in cap. vbi periculum, §. vocarentur.* Sayrus *loco citato, num.* 2.

Ex dictis ſequitur, primò eum, qui ſcripturam defert non affici excommunicatione huius textus, modò ipſe non loquatur ſecretò; aliud enim eſt deferre, aliud mittere, & à diuerſi

uerſis præſertim in materia pœnali, non valet illatio, *l.Papinianus exuli.ff.de minoribus, l.inter copulantem,§.ſacram.ff.de verborum oblig.& l.naturalem,§.nihilominus,ff.de acquir.poſſ.*

Secundò, Epiſcopos, Prælatos, alióſve cuiuſcúmque conditionis, & ſtatus affici excommunicatione præcitati capitis mittendo publicè, vel ſecretò nuncium, vel ſcripturam, aut ſecretò loquendo, quia verba textus generalia ſunt.

6 Sed modò dubium eſt, primò vtrum ipſimet Cardinales in Conclaui exiſtentes afficiantur iſta excommunicatione ſecretè inter ſe loquendo, aut famulum, vel ſcripturam mittendo. Reſpondeo negatiuè, quia textus intelligitur de illis, qui extra Conclaue exiſtunt, vt colligitur ex præcedentibus verbis, ibi *nulli ad eoſdem Cardinales, aditus pateat*, ita Caiet. Filliucius, Sayrus, & Suarez locis citatis.

7 Secundò dubium eſt, vtrum ipſimet Cardinales recipientes nuncium, aut litteras, aut colloquentes cum ſecretò loquentibus grauiter peccent, & afficiantur pœna excommunicationis præfati capitis.

Reſpondeo, grauiter peccare quoties aduertunt eum, qui ſecretò loquitur, aut qui nuncium, vel litteras miſit, non habuiſſe iu-

ſtam,& ſufficientem cauſam ad hæc præſtanda. Ratio eſt, quia qui delicto alterius cooperatur peccat pro qualitate delicti cui cooperatur, vt patet ex regulis generalibus traditis *de peccatis*; non tamen incurrunt excommunicationem in præfato cap.contentam; quia ea lata eſt in mittentes, nuncium,vel ſcripturam Cardinalibus, aut cum eis ſecretò loquentes, non verò in ipſos Cardinales recipientes nuncium, vel ſcripturam, vel ſecretò colloquentes, quantum eſt ex vi huius textus præcisè; incurrunt tamen aliam Pij IV. recipiendo nuncium, vel ſcripturam, de qua ſtatim diſſeram.

Dices,participant in crimine criminoſo ob quod lata eſt excommunicatio, participans autem in crimine criminoſo incurrit eandem excommunicationem, *cap.nuper de ſentent. excomm.* Reſpondeo iuxta alibi dicta ob participationem in crimine criminoſo non incurri excommunicationem à participante, niſi is, cùm quo participat, iam contraxerit excommunicationem,& ſit excommunicatus vitandus,vt oſtendi in tractatu *de cenſuris in particulari in explicatione,cap.nuper de ſent.excommunicationis*;nam poſt extrauagantem *Ad euitanda*, licitum eſt participare cum excommunicato tolerato.

8 Tertiò

8 Tertiò dubium eſt, vtrum ſecretò loquens cum famulis Cardinalium in Conclaui exiſtentibus, ligetur hac cenſura. Reſpondeo negatiuè, quia in præfato textu, excommunicantur ſecretò loquentes, cum Cardinalibus, vel cum aliquo ipſorum; famuli autem Cardinalium non ſunt Cardinales, & in materia pœnali non eſt facienda extenſio vltra propriam verborum ſignificationem, *l. cum quidam, ff. de liber. & poſth. cap. renouantes 22. diſt. 10. cap. odia de reg. Iur.*

Hoc tamen limitandum videtur, modò non loquatur cum famulis, imponendo eis, vt illud referant Cardinalibus, in hoc enim caſu ligari videtur excommunicatione, non tanquam ſecretò loquens cum Cardinalibus, ſed tanquam mittens nuncium; ſicut enim tradens famulo Cardinalis ſcripturam Cardinali referendam, dicitur mittere ſcripturam Cardinali; ita etiam loquens cum famulo Cardinalis de re aliqua, vt eam referat Cardinali, dicitur mittere nuncium, ſecùs dicendum eſt, ſi loquatur cum famulo Cardinalis, abſque præfata intentione, etiamſi fortè famulus auditum ab ipſo ſignificet, & referat Cardinali; tunc enim non dicitur mittere nuncium iuxta ſtrictam verborum ſignificationem.

Quartò dubium eſt, vtrum requiratur con-

ſenſus omnium Cardinalium, vt quis excuſetur ab excommunicatione alloquendo Cardinales in Conclaui exiſtentes. Reſpondeo ſolutionem conſtare ex ſupradictis *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 7.

Hæc dicta ſint ad intelligendum, *cap. vbi periculum, de elect.* in quo extat excommunicatio non reſeruata.

9 Obſeruandum tamen eſt præter dictam excommunicationem, aliam additam fuiſſe à Pio IV. anno 1562. in Bulla 63. in ordine, quæ incipit, *In eligendis Eccleſiarum Prælatis*, §. *litteras*, in qua conſtitutione Summus Pontifex ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda, & Sedi Apoſtolicæ reſeruata prohibet litteras, aut ſcripta cuiuſuis generis, ſeu nuncium, vel notam, aut ſignum ad eos, qui in Conclaui ſunt, mittere, ſeu recipere; aut contrà è Conclaui ad eos qui foris erunt, ibi, *Litteras verò, aut cuiuſuis generis ſcripta, ad eos qui in Conclaui erunt, ſeu nuncium, vel notam, aut ſignum mittere, aut recipere, aut contra è Conclaui ad eos, qui foris erunt nullo modo liceat. Qui contrà fecerint, quacúmque dignitate, etiam Cardinalatus honore præfulgeant, pœnæ excommunicationis latæ ſententiæ ſubiaceant, abſoluendi facultate, præterquam in mortis articulo, ſoli Pontifici Maximo reſeruata, à quo nihilominus pro qualitate delicti, vltra*

*tra dictam excommunicationis pœnam puniendi erunt.*

Ex quo patet differentia inter iſtam,& præcedentem excommunicationem,primò,quod iſta eſt reſeruata Summo Pontifici,illa nequaquam;ſecundò, in iſta non ſolum prohibitum eſt mittere litteras, ſcripta, & ſigna, verùm etiam illa recipere;in illa verò non imponitur excommunicatio recipientibus, tertiò in illa prohibitum eſt ſub excommunicatione ſecretè loqui, in hac verò conſtitutione prohibitum eſt quidem,ſed non ſub cenſura,vt patet ex illis verbis, *Clauſo Conclaui nulli ad Colloquium etiam extrà portam Conclauis, etiam Principum Oratores, niſi ex magna, & vrgentiſsima cauſa à maiori parte Collegij approbata admittantur.* Quamobrem ſecretò loquens incurrit quidem excommunicationem, non tamen reſeruatam.

An verò hæc Cenſura incurratur antequam ſcriptura, vel nuncius ad eum perueniat, ad quem mittebatur, patet ex ſupradictis,*num.*2.

10 Sed modò dubium eſt, primò, vtrum ad iſtam excommunicationem incurrendam opus ſit,vt ſcriptura tractet de re ad Pontificis electionem pertinente. Reſpondeo id non requiri,ſed ſufficere quamlibet ſcripturam. Ra-

tio eſt, tum quia Summus Pontifex ad præcauenda pericula, prohibet mitti, vel recipi ſcripta cuiuſuis generis, ibi, *Litteras verò, aut cuiuſuis generis ſcripta.* Tum quia, ſicut prohibetur quælibet locutio cum Cardinalibus, ita etiam cuiuſlibet ſcripturæ tranſmiſſio. Addo ſub eadem excommunicationis pœna prohibitum eſſe nuncium, notam, aut ſigna mittere, etiamſi illa ſigna nota ſint tantummodo mittenti, & ei ad quem mittuntur, vt ſi quis cum aliquo, qui Conclaue ingreſſus eſt, confingat quoſdam characteres, aut ſigna, vt alter intelligat, certum quid ſignificare, quoties tale ſignum dederit.

11 Addo illum affici excõmunicatione, qui aliquid ſcriptura inuoluit, illúdque in Conclaue mittit, etiamſi timeat fore, vt illa ſcriptura non legatur, adhuc enim dicitur mittere aliquod ſcriptum ad eos, qui in Conclaui exiſtant, & ſicut mercator retinens folia libri vetiti ad inuoluendum caſeum, afficitur excommunicatione lata contra retinentes libros vetitos, vt cum communi Doctorum ſententia docui in explicatione *Bullæ Cœnæ*, ita, &c. ſecùs ſi mittantur libri, aut chartæ typis impreſſæ, vel papyrus neceſſaria ad aliquid inuoluendum, hæc enim non vocantur litteræ, vel ſcripta. Hæc tamen intellige, niſi mittantur tan-

quam

quam ſignum ad aliquod ſignificandum ex præuia conuentione, vt dictum eſt *num.* 10.

12 Secundò dubium eſt, vtrùm deferens litteras, ſeu ſcripta, incurrat excommunicationem iſtius conſtitutionis. Reſpondeo negatiuè, etiamſi alloquatur ipſum, ad quem litteras defert; Ratio eſt, quia aliud eſt mittere nuncium, ſcripturam, aut ſignum, aut recipere; aliud verò deferre, hic tamen incurrit excommunicationem, *cap. vbi periculum*, ſi ſecretò loquatur, vt ſuprà dictum eſt.

13 Tertiò dubium eſt, vtrum mittens, vel recipiens modicum chirographum, & valde breuem ſcripturam, vinculo huius cenſuræ obſtringatur. Ratio dubitandi pro parte negatiua eſt, tum quia paruitas materiæ ſemper excuſat à mortali, conſequenter etiam ab excommunicatione, quæ ob peccatum mortale incurritur, tum quia legens octo, vel decem lineas libri ob hæreſim damnati, non afficitur excommunicatione lata contra legentes libros Hæreticorum, etiamſi in illis paucis lineis inſertus ſit error, cuius cauſa liber ille damnatus fuit, ergo multo minus in præfatis caſibus incurrit excommunicationem mittens, vel accipiens breuiſſimum chirographum.

His non obſtantibus omnino ſuſtinendum eſt, tam recipientem, quàm mittentem breue chiro

chirographum,in præfatis caſibus vinculo excommunicationis ligari; ratio eſt, tum quia prohibitio generalis eſt;non ſolum enim prohibentur litteræ, verum etiam ſcripta cuiuſcunque generis notæ,& ſigna; huiuſmodi autem chirographum comprehenditur ſub nomine ſcripti cuiuſuis generis, vel ſaltem ſub nomine notæ, aut ſigni;tum quia vbi eſt eadem ratio,debet etiam eſſe eadem iuris diſpoſitio,*l.illud,ff.ad legem Aquil.l.illud, C.de ſacroſ. Eccleſ.*& *l.à Titio, ff.de furtis.* Ratio autem ob quam illa excommunicatio lata eſt, militat tam in breui chirographo, quàm in longiori, cùm inde arripi poſſit occaſio impediendi liberam futuri Pontificis electionem.

Ad primam rationem dubitandi. Reſpondeo in hoc caſu non adeſſe paruitatem materiæ,ſed materiam ipſam ſufficientem ad mortale,& ad cenſuram incurrendam, vt patet ex rationibus à me allatis.

Ad ſecundam negatur conſequentia.Ratio diſparitatis eſt, quia illa excommunicatio lata eſt contra legentes libros hæreticorum, qui autem paucas lineas legit,non dicitur moraliter loquendo librum legere,conſequenter ratione paruitatis materiæ à mortali,& à cenſura excuſatur, qui verò breue chirographum in Conclaue mittit,vel recipit, dicitur recipe-

re

re aliquod ſcriptum, notam, vel ſignum, quod eſt materia iſtius excommunicationis, conſequenter non excuſatur à mortali, & ab excommunicatione.

## QVARTA PROPOSITIO.

14 ABſolutio iſtius excommunicationis Summo Pontifici reſeruata non eſt. Ratio eſt, quia Gregorius X. qui hanc excommunicationem in Concilio Lugdunenſi edidit, *cap. vbi periculum citato*, abſolutionem non reſeruauit, ſecùs dic de excommunicatione Pij IV. vt dictum eſt, *num.* 8.

# QVÆSTIO V.

## *De excommunicatione contra occupantes bona Cardinalium in Conclaui exiſtentium, aut etiam alibi.*

### SVMMARIVM.

1 *Refertur textus in quo iſta excommunicatio continetur.*

2 *Aſsigna*

2 *Aſsignatur materia iſtius excommunicationis.*

3 *Inuadens domum alicuius Cardinalis, non incurrit iſtam excommunicationem, niſi etiam aliquid rapiat, an autem aliam incurrat, explicatum eſt in tract. de cenſuris in particulari.*

4 *Inuadens domum alicuius Cardinalis armata manu incurrit excommunicationem, etiamſi vox non prodierit ipſum in Papam electum fuiſſe.*

5 *Vulnerans aliquem in domo Cardinalis, poſtquam eam domum armata manu inuaſit excommunicationem incurrit.*

6 *Explicatur ſubiectum iſtius excommunicationis.*

7 *Excommunicatio lata ob inuaſionem domus Cardinalis an reſeruata ſit.*

8 *Inuadens domum Cardinalis quas pœnas præter excommunicationem incurrat.*

NE à conſueto tractationis vſu recedam, quatuor explicabo, primò, vtrum extet iſta excommunicatio, ſecundò, quænam ſit iſtius materia; tertiò, quódnam ſit ſubiectum; quartò, vtrum abſolutio reſeruata ſit.

PRIMA

## PRIMA PROPOSITIO.

1 OCcupantes bona Cardinalium in Conclaui exiſtentium, aut etiam aliàs ipſorum domum inuadentes, & aliquid hoſtiliter diripientes, aut aliquem ibi exiſtentem vulnerantes anatemati ſubiiciuntur.

Iſta excommunicatio lata fuit priùs in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 41. *in Decreto, omnis ætas*, contra eos qui violenter occupant res electi in Papam, aut Cardinalium electorum, aliorúmque in Conclaui exiſtentium; verum quia fortè Decretum Concilij Conſtantienſis omnino receptũ non fuerat, Leo X. in Bulla 16. quę incipit *Temerariorum*, confirmans conſtitutionẽ Honorij III. & Bonifacij VIII. *in c. fœlicis, de pœnis, in* 6. extendit dictam conſtitutionẽ ad eos, qui armata manu inuadunt domum alicuius Cardinalis, & aliquid violenter, hoſtiliter rapiunt, aut aliquem ibi exiſtentem vulnerant, aut ad huiuſmodi delictum mandato, aut conſilio cooperantur, aut ratum habent, vt patet ex verbis Bullæ Leonis X. §. 3. ibi, *Et nihilominus conſtitutiones eaſdem cum omnibus, & ſingulis in eis contentis cenſuris, & pœnis, ad omnes, & ſingulas perſonas cuiuſcunque ſtatus, conditionis, & excellentiæ exiſtentes, qui alicuius dictorum Cardinalium domum, tam tempore dicti Conclauis,*

*etiamſi*

*etiamſi in Romanum tunc Pontificem ſit electus, quàm alias, quandocúnque, & ex quacúnque cauſa armata manu inuadentes, & in ea violenter, hoſtiliter aliquid diripientes, aut quempiam ex inibi exiſtentibus vulnerantes, & eorum ſocios, & qui id fieri mandauerint, vel factum eius nomine ratum habuerint, ac ipſis inuaſoribus, conſilium in præmiſſis, vel fauorem præſtiterint, & defenderint extendimus, & ampliamus.*

## SECVNDA PROPOSITIO.

2 MAteria iſtius excommunicationis conſiſtit in actionibus in hac Bulla expreſſis; Prima actio eſt, armata manu inuadere domum alicuius Cardinalis, & aliquid violenter, & hoſtiliter rapere, is autem dicitur hoſtiliter rapere, qui hoſtili modo rapit, ſeu tanquam hoſtis, ſeu publicè & manifeſtè, vt in ſimili dixi *in Bulla Cœnæ q.* 12. *puncto* 1. *n.*6.

3 Rogabis primò, vtrum ad incurrendam iſtam excommunicationem ſatis ſit, vt quis armata manu inuadat domum Cardinalis, an etiam requiratur, vt aliquid violenter tanquam hoſtis rapiat.

Reſpondeo, vtrumque requiri ſi loquamur de excommunicatione, quam hîc explicamus. Ratio eſt, quia Summus Pontifex loquitur per

particu

particulam coniunctiuam, & ibi, *armata manu inuadentes, & in ea violenter, hoſtiliter aliquid diripientes*; natura autem dictionis &, eſt coniungere, & copulare antecedentia cum ſubſequentibus, non verò diſiungere, & ſeparare, *l. Titia Textores, §. nihil, ff. de legat. l. ſi hæredi plures, ff. de condit. inſtit. & l. ſi quis ita ſtipulatus, ff. de verborum obligat.*

Hinc ſequitur eum non affici excommunicatione Bullæ Leonis X. citatæ, qui aliquid è domo Cardinalis violenter, & hoſtiliter rapit, niſi etiam illam armata manu inuaſerit.

Secundò eum non ſubiici huic excommunicationi, qui titulo lætitiæ, & ex rationabiliter præſcripta voluntate Cardinalis in Papam electi, domum ipſius diripit, quia hoc non facit tanquam hoſtis, in Concilio tamen Conſtantienſi citato id vetitum erat, etiamſi fieret prætextu lætitiæ.

Tertiò eum non ligari hac cenſura, qui ſpoliat cubiculum Papæ in Conclaui conſtructum, nam Bulla Leonis loquitur de inuadentibus, & diripientibus domum, quod verificatur de domo extra Conclaue poſita. Dixi in reſponſione, ſi loquamur de excommunicatione, quam hic explicamus, nam ſi loquamur de excommunicatione lata contra hoſtiliter inſequentes Cardinales *in cap. fœlicis de pœnis,*

*in 6.* quam Leo X. in hac Bulla confirmauit, perſpicuum eſt illum, qui hoſtiliter inuadit domum, in qua Cardinalis exiſtit, excommunicatione affici, etiamſi nihil violenter diripiat, vt patet ex dictis *in Bulla Cœnæ, Canone* 11. *quæſt.* 12. *puncto* 1. *num.* 6. *& ſeqq.*

4 Rogabis ſecundò, vtrum ad incurrendam iſtam excommunicationem opus ſit, vt inuaſio fiat, dum Cardinalis in Conclaui exiſtit, & de ipſo prodit vox quod in Pontificem ſit electus.

Reſpondeo negatiuè, ſed ſatis eſſe quóuis tempore fiat, quia Leo X. generaliter loquitur, ibi, *Qui alicuius dictorum Cardinalium domum tam tempore dicti Conclauis, etiamſi in Romanum tunc Pontificem ſit electus, quàm alias quandocunque, & ex quacunque cauſa.*

Secunda actio eſt, vulnerare aliquem ex iis, qui in domo Cardinalis exiſtunt, quamobrem ſi quis armata manu inuadat domum Cardinalis, & aliquem ibi exiſtentem vulneret, afficitur excommunicatione, etiamſi nihil inde rapiat, quid autem ſignificet verbum vulnerare, patet ex dictis in expoſitione *Bullæ Cœnæ.*

5 Rogabis, vtrum iſta excommunicatio incurratur ab omnibus qui aliquem vulnerant in domo Cardinalis. Ratio dubitandi pro parte affirmatiua eſt, quia iſta actio eſt diſtincta

ſtincta à prima, & exprimitur per particulam diſiunctiuam *aut*; ad verificandam autem propoſitionem diſiunctiuam ſufficit alteram partem veram eſſe, *l.ſi hæredi plures, ff. de condit.inſtitut.*& *l.ſi quis ita ſtipulatus in fine, ff. de verbor.oblig.*

His non obſtantibus. Reſpondeo iſtam excommunicationem incurri ab iis qui aliquem in domo Cardinalis exiſtentẽ vulnerant poſtquam eam domum armata manu inuaſerunt. Ratio eſt, quia Summus Pontifex loquitur de iis, qui domum Cardinalis armata manu inuadunt, & ſimul aliquid hoſtiliter rapiunt, aut aliquem vulnerant, quapropter dictio illa, *aut*, non eſt diſiunctiua reſpectu inuadentium, ſed reſpectu rapientium, ita, vt ſufficiat rapere, aut vulnerare poſt inuaſionem domus, hinc patet reſponſio ad rationem dubitandi.

Tertia actio eſt, ſocium eſſe, id eſt, participem eſſe delicti, quod committitur aliquâ prædictarum duarum actionum. Quarta eſt mandare. Quinta ratum habere factum ſuo nomine; Sexta conſilium, vel fauorem præbere, & defendere.

## TERTIA PROPOSITIO.

6 SVbiectum iſtius excommunicationis ſunt omnes & ſinguli, qui aliquam ex

 præſa

præfatis actionibus faciunt, nam Summus Pontifex in præfata Bulla generaliter loquitur, ibi, *Ad omnes, & ſingulas perſonas cuiuſcunque conditionis, ſtatus, & excellentiæ exiſtentes.*

## QVARTA PROPOSITIO.

7 ABſolutio iſtius excommunicationis Summo Pontifici reſeruata eſt. Ratio eſt, quia licet in præcitata Leonis X. Bulla, nulla reſeruationis mentio habeatur, nihilominus excommunicatio, *cap. fœlicis de pœnis, in 6.* reſeruata eſt; ergo etiam iſta excommunicatio reſeruata eſt, nam Leo X. extendit excommunicationem, *cap. fœlicis*, cum omnibus ibi contentis ad eos qui aliquam ex actionibus in ſecunda propoſitione explicatis faciunt.

8 Secundò dubium eſt, vtrum præfati delinquentes præter excommunicationem reſeruatam, alias pœnas incurrant.

Reſpondeo, quamplures alias incurrere, vt bannum, infamiam, publicationem bonorum, priuationem beneficiorum, & alia, quæ *in cap. fœlicis citato*, recenſentur. An autem iſtæ pœnæ incurrantur ante vllam Iudicis ſententiam, conſtat ex dictis *de legibus*, vbi generales regulas tradidi.

QVÆ

# QVÆSTIO VI.

## *De excommunicatione contra Cardinales ſimoniam committentes in electione Papæ.*

### SVMMARIVM.

1 *Simoniam committens in electione Papæ, excommunicationem incurrit.*

2 *Aſsignatur materia iſtius excommunicationis.*

3 *Enumerantur ea propter quæ incurritur excommunicatio, faciendo contra contenta in hac Bulla.*

4 *Excommunicatio lata ob ſimoniam contractam cauſa electionis Papæ non incurritur, quóuis tempore præfata ſimonia committatur, ſed ſi committatur Sede vacante.*

5 *Aſsignatur ſubiectum iſtius excommunicationis.*

6 *Abſolutio iſtius excommunicationis reſeruata eſt.*

EXPLICABO primo loco, an iſta excommunicatio extet, ſecundo quænam ſit eius materia, tertio, quódnam ſit ſubiectum, quarto, vtrum eius abſolutio reſeruata ſit.

## PRIMA PROPOSITIO.

1 COmmittens ſimoniam Sede vacante in electione Papæ excommunicationem, & alias pœnas incurrit, nam Iulij II. in Bulla quæ incipit, *cum tam diuino*, non ſolum prohibet electionem Papæ ſimoniacè fieri; verum etiam electionem ſimoniacè factam abſolutè, & omnino irritat, grauéſque pœnas tam ſic electo, quàm eligentibus imponit, ac denique ſtatuentes, diſponentes, vel facientes, ſeu attentantes aliquid Sede vacante contra illam conſtitutionem, ſeu contrauenientes, excommunicationi ſubiicit, nonnulli tamen Doctores, quos retuli *diſp.*1.*quæſt.*2. §.*vnico*, putant hanc Bullam vſu receptam non eſſe, ſed hoc ego ibidem reprobaui, vide quæ ibi tradidi, vbi de ſimoniaca electione prolixiùs egi.

## SECVNDA PROPOSITIO.

2 MAteria iſtius excommunicationis ſunt ſacrilegæ actiones in præfata Iulij II. Bulla prohibitæ, quarum prima eſt,

contra

contrauenire iis, quæ in illa Bulla conſtituuntur; ſecunda eſt ſtatuere, diſponere, ordinare, facere, vel attentare aliquid Sede vacante contra ea, quæ in dicta Bulla continentur; in Bulla enim dicitur, *Inhibentes, ne Apoſtolica Sede vacante prædictis contrauenire, vel contra præmiſſa, vel aliquid præmiſſorum ſtatuere, diſponere, & ordinare, vel aliquo modo facere, ſeu attentare præſumant, quocunque exquiſito colore, vel cauſa ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam ipſo facto incurrant, & à qua non niſi per Romanum Pontificem canonicè electum abſolui poſsint, niſi in mortis articulo.*

3 Sed modò dubium eſt, quænam in dicta Bulla contineantur. Reſpondeo primò, primum, & præcipuum eſſe, cauere ne electio Papæ fiat cum hæreſi ſimoniaca, dando aliquid, promittendo, vel recipiendo, per ſe, vel per alium, alioquin Cardinales huius criminis rei, excommunicatione ligantur; excommunicatio enim lata eſt contra Cardinales, qui prædictis contrauenire præſumunt, dando, promittendo, vel accipiendo pecunias, bona cuiuſcunque generis, caſtra, officia, vel beneficia, ſeu promiſſiones, & obligationes per ſe, vel per alium, ſeu alios cauſa electionis.

Crimen ſimoniæ vocatur Hæreſis, quia, qui huiuſmodi crimen committit, ſpiritualia pretio æſtimat, vel æſtimare præſumitur.

Secundum eſt, vt non ſolum huiuſmodi electio irrita ſit, nec conualidetur per intronizationem, curſum temporis, adorationem, aut obedientiam Cardinalium; verum etiam ſic electus ſit ipſo facto, abſque alia declaratione priuatus Cardinalatu, dignitatibus, beneficiis, & penſionibus, ſit Apoſtaticus, & tanquam ſimoniacus, & Hæreſiarcha, ad prædicta omnia, & ſingula inhabilis habeatur; eandem priuationem Cardinalatus, dignitatum, & beneficiorum incurrunt Cardinales ſimoniacè eligentes, niſi coniunxerint ſe aliis Cardinalibus infrà terminum octo dierum poſtquam fuerint ab eis requiſiti.

Tertium eſt, licere, Cardinalibus omnibus Clero, Populo Romano, & omnibus officialibus impunè recedere ab obedientia Papæ ſimoniacè electi.

Quartum eſt, Cardinales poſſe brachium ſeculare implorare, ſi electus per ſimoniam ingeſſerit ſe regimini vniuerſalis Eccleſiæ.

Quintum eſt, vt omnes mediatores huiuſmodi electionis ſimoniacæ, ſint ipſo facto priuati honoribus, beneficiis, ac bonis, ad ſimilia inhabiles, tam actiuè, quàm paſſiuè,

inteſtabiles, & eorum bona fiſco, inſtar reorum criminis læſæ Maieſtatis, ipſo facto applicentur.

Sextum eſt, vt omnes obligationes ſimoniacæ in electione Papæ irritæ ſint.

Septimum, vt Cardinales non complices electionis ſimoniacæ poſſint alium éligere, adhibitis etiam aliis Cardinalibus complicibus ſimoniæ qui ſe cum ipſis coniungere voluerint.

Ex dictis facilè colligitur Cardinales affici excommunicatione, non ſolum ſi labem ſimoniæ committere præſumant in electione Papæ; verùm etiam ſi præſumant decernere electionem Papæ ſimoniacam, non fuiſſe inualidam, aut licitum non eſſe recedere à ſic electo, aut ſi præſumant facere aliquid contra præmiſſa.

4 Rogabis, vtrum iſta excommunicatio incurratur, quóuis tempore præfatæ actiones fiant. Reſpondeo incurri ſolum ſi fiant Sede vacante, ſic enim decernitur in præfata Iulij II. Bulla, ibi, *inhibentes omnibus, & ſingulis S. R. E. Cardinalibus ne Apoſtolica Sede vacante prædictis contrauenire, vel contra præmiſſa ſtatuere*, &c. An autem incurratur excommunicatio lata à Paulo IV. patet ex ſupradictis *quæſt. 2. num. 3. & ſeqq.*

## TERTIA PROPOSITIO.

5 SVbiectum iſtius excommunicationis ſunt Cardinales qui aliquam ex præfatis actionibus faciunt Sede vacante;in Bulla enim dicitur; *Inhibentes poſtremò omnibus,& ſingulis S. R. E. Cardinalibus, qui pro tempore erunt, & eorum ſacro Collegio, ne Apoſtolica Sede vacante*,&c. vide quæ ſuprà tradidi *diſp.* 1.*quæſt.*2. §. *vnico*, vbi de ſimoniaca electione prolixè diſſerui.

## QVARTA PROPOSITIO.

6 ABſolutio iſtius excommunicationis Summo Pontifici reſeruata eſt, nam in Bulla Iulij II. dicitur, *A qua non niſi per Romanum Pontificem canonicè electum abſolui poſſint, niſi in mortis articulo.*

QVÆ

# QVÆSTIO VII.

## *De excommunicatione Gregorij XV. & ſanctiſsimi D.N. Vrbani, contra Cardinales non ſeruantes formam in eligendo Summo Pontifice præſcriptam, aut præſumentes aliquid facere, vel attentare contra ipſorum conſtitutiones.*

### SVMMARIVM.

1 *Aſsignatur materia iſtius excommunicationis.*

2 *Aſsignatur ſubiectum iſtius excommunicationis.*

3 *Abſolutio excommunicationis contractæ ob violationem conſtitutionis Gregorij XV. circa electionem, reſeruata eſt Papæ, nec vllus virtute cuiuſlibet priuilegij excepto mortis articulo abſoluere poteſt.*

TRIA

TRIA principaliter explicabo, primò quænam ſit materia iſtius excommunicationis; ſecundò, quódnam ſit ſubiectum; tertiò, quis poſſit eius abſolutionem conferre.

## PRIMA PROPOSITIO.

1 MAteria iſtius excommunicationis præcipua eſt, contrauenire formæ à Gregorio præſcriptæ in electione Summi Pontificis, quæ autem forma præſcripta ſit, conſtat ex ſupradictis, & patet ex ipſa Bulla, in qua non ſolum traditur forma electionis præciſè, verum etiam iuramenti, & deputationis Cardinalium ad ſuſcipiendum infirmorum vota, præterea ſub excommunicatione præcipitur, vt ſcrutinium bis ſingulis diebus peragatur, vt Cardinales non infirmi poſt tertium Campanæ ſonum ad locum Conclauis ſolitum conueniant, vt ſecretum ſeruent, vt à pactionibus, conuentionibus, promiſſionibus, aliíſque obligationibus, minis, ſignis, contraſignis ſuffragiorum, aliíſque huiuſmodi, tam reſpectu incluſionis, quàm excluſionis, ſeu ſuffragio dando, vel non dando abſtineant, vt electio non fiat niſi clauſo Conclaui, alioquin non teneat, vt electio non fiat, niſi per ſecreta

ſchedu

ſchedularum ſuffragia, vel per viam compromiſſi, vel quaſi per inſpirationem, iuxta formam ibi impoſitam, alioquin electio irrita ſit, & inualida; in his omnibus caſibus excommunicatio ipſo facto imponitur, ſub eadem excommunicationis pœna Cardinalibus prohibetur mutatio, alteratio, actio, vel etiam attentatio contra iſtam conſtitutionem, vel contra aliquid in ea contentum; vt autem exactior habeatur cognitio eorum, quæ in hac Bulla Cardinalibus præſcribuntur, videnda ſunt ea quæ tradidi *diſp.* 1. *ſub initium, verſ. Breuis, & compendioſa enumeratio.*

## SECVNDA PROPOSITIO.

2 SVbiectum iſtius excommunicationis ſunt Cardinales contra iſtam conſtitutionem delinquentes; ipſi enim exprimuntur, & ab ipſis huius Bullæ obſeruatio exigitur.

Addi poteſt caſus in quo aliĳ præter Cardinales hac cenſura ligantur, nempe ob electionem inualidam, quando electio celebrata fuit Conclaui nondum clauſo, aut non ſeruata forma ſcrutinĳ, acceſſus, compromiſſi, & *quaſi inſpirationis*; tunc enim non ſolum Cardinales, verum etiam complices, & fautores laqueo excommunicationis irretiuntur: nam

in Bulla dicitur, *tam ipſe, quàm eligentes, eiúſque fautores, & complices ſententiam excommunicationis, & anathema, aliáſque cenſuras, & pœnas, inuaſoribus Sedis Apoſtolicæ, à ſacris Canonibus, & conſtitutionibus Apoſtolicis impoſitas, pariter ipſo facto incurrant.*

## TERTIA PROPOSITIO.

3 ABſolutio iſtius excommunicationis reſeruata eſt Summo Pontifici, nec vllus excepto mortis articulo etiam virtute alicuius priuilegij poteſt ab ea abſoluere, nam in præfata Bulla dicitur, *A qua ſicut ab alia quacunque in hac conſtitutione impoſita, & irrogata, ſeu infra imponenda, & irroganda pœna excommunicationis, tam ipſi, quàm quilibet alius, ſiue S. R. Eccleſiæ Cardinalis, ſiue alia perſona cuiuſcunque gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ, à nullo, neque etiam à maiori Pœnitentiario, cuiuſcunque facultatis vigore, præterquam à Romano Pontifice, niſi in mortis articulo abſolui poſſit.*

Hinc ſequitur, primò Epiſcopum non poſſe abſolutionem impendere, etiamſi delictum ſit occultum; quamuis enim Epiſcopus poſſit à cenſuris Summo Pontifici reſeruatis, & ob delictum occultum contractis, abſolue-

re,

re, ex Concilio Trid. *ſeſſ.*24. *cap.* 6. nihilominus ab iſta non poteſt: quia Summus Pontifex abſoluendi facultatem abſolutè ademit, etiam maiori Pœnitentiario poſt editionem Tridentini.

Neque obſtat dicere in hac reſeruatione non fieri mentionem Concilij Tridentini, conſequenter non cenſeri derogatum priuilegiis Epiſcoporum in Tridentino conceſſis. Reſpondeo enim primò iuxta communiorem ſententiam, non requiri mentionem Concilij Tridentini in conceſſionibus Summi Pontificis, vt patet ex dictis de cenſuris in particulari *diſp.*1. *quæſt.*22. dum loquerer de abſolutione ab excommunicationibus *in Bulla Cœnæ.* Reſponderi poteſt ſecundò, in hac Bulla derogari omnibus Conſtitutionibus, & Decretis, etiam Conciliorum generalium huic Bullæ contrariis, ibi *non obſtantibus, quatenus opus ſit,* &c. quæ derogatio extendi etiam videtur ad reſeruationem huius cenſuræ, cùm derogatio ſit generalis, quatenus opus eſt.

Secundò, ſequitur, Religioſos non poſſe hoc tempore virtute ſuorum priuilegiorum ante iſtius Bullæ conſtitutionem conceſſorum, ab hac cenſura abſoluere, vt patet ex allata ratione. An autem abſolutio virtute,

*Cruciatæ,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Cruciatæ*, impendi poſſit, patet ex dictis *de legibus, de ceſſatione priuilegiorum*, & *ex dictis de abſolutione ab excommunicationibus Bullæ Cœnæ.*

Tertiò ſequitur abſolutionem ab hac cenſura impendi poſſe, dum Summus Pontifex de nouo creatus dicit aliquibus Conclauiſtis, *Do vobis facultatem qua abſolui poſsitis ab omnibus excommunicationibus contractis occaſione Conclauis, ſeu creationis Pontificis*; tunc enim cenſetur data facultas Confeſſario, vt patet ex dictis *de Sacramentis.*

*Ad Dei, Beatiſſimæ Virginis, Sanctorúmque omnium laudem.*

FINIS.

AD

# AD D. MARTINI
# BONACINÆ
# DE MORALI
# THEOLOGIA,
## Tomos Tres,
## PARALIPOMENA
## POSTHUMA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# AD D. MARTINI BONACINÆ DE MORALI THEOLOGIA, Tomos Tres,

## *PARALIPOMENA POSTHVMA.*

---

## Typographus, Lectori beneuolo.

*IS fuit omnium Doctorum mira conſenſione, & vnanimi iudicio, D.* M*ARTINVS* B*ONACINA*; *ea ſcriptorum eius moralium apudomnes approbatio, vt*

*dignum planè, iuſtúmque ſit, tam boni doni nullam particulam prӕterire. Itaque cùm inter eius ſchedia, poſt tanti viri è viuis exceſſum, repertӕ eſſent nonnullӕ appendiculӕ ad certa loca manu Autoris appoſitӕ; viſum eſt, ne illis quidem, tametſi exiguis, fraudaſſe Lectorem; ſed potiùs illud Chriſti conſilium nobis propoſitum exiſtimare;* Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. *Nam eſt in his quoque fragmentis, & veluti micis è planè apparato conuiuio reſiduis, edule quid, & reficiendo ingenio accommodatum. Vſus porrò eſt Autor editione Lugdunenſi anni* 1629. *in tres Tomos diſtributa; ad eámque pertinent numerales notӕ paginarum, quibus hӕ acceſsiones ſunt inſerendӕ, vt in ſingulis annotabitur.*

*Quòd*

*Quòd ſi quem ea editio deficit, parum intereſt. Nam numeri diſputationum, punctorum, & quibus puncta ſubſecantur, ſingulis acceſsionibus adiuncti, prohibebunt aberratione, & vbi intexendæ ſint, abſque mora indicabunt. Hoc te, Lector, monitum debui, ac volui. Vale & Fave.*

# ADDITIONES
## AD
# BONACINÆ
## TOMVM PRIMVM, OPERI SVO INSERTÆ ab ipſo Autore, dum adhuc ſupereſſet.

DE Sacramentis in genere, diſp. 1. quæſt. 2. punct. 1. num. 1. pag. 8. poſt hæc verba, *vt dictum eſt de ſcamno.* Adde *ita Suarez 3. part. quæſt. 66. in comment. art. 1.*

Ibid. propoſ. 3. fol. 9. num. 12. in fine. Adde. *Vide Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 4.*

Ibid. num. 15. poſt hæc verba, *Contra Eccleſiam Chriſti.* Adde, *Contrarium veritati formæ.*

Et num. 17. *qui præuidens inebriandum.* Adde, *qui præuidens ſe inebriandum.*

Ibid.

Ibid.diſp.1. quæſt.6. punct.2. fol.32. col.1. propoſ.vnica.verſ.1.in fin.poſt verba, *Atque ex his.* Adde. *Ratio autem cur in infantibus non requiratur intentio propria, eſt, quia ſicut non peccarunt propria voluntate, ſed aliena; ita etiam ſaluari poſſunt aliena voluntate, id eſt, voluntate Eccleſiæ ſupplentis intentionem ipſorum.*

De Confirmatione, diſp. 3. quæſt. vnica, punct.4. propoſ.2. fol.68. col.2. num.11. poſt hæc verba. *Ita Henriquez loco citato cap.3. n.4.* Adde *contra Venerum cap.6. num.11.*

Diſp.4.q.7.punct.2.fol.118.de Sacramento Euchariſtiæ, col.1.num.10.in fine. Adde. *Et ex profeſſo tradit Rodriquez tom.1. quæſt. Regular. quæſt.56.art.14.*

De Pœnitentiæ Sacramento diſp.5.quæſt.5. ſect.1.punct.9. prop.2. fol.190. col.2. n.3. poſt hæc verba, *ita Caiet.1.2.quæſt.113.art.3.* Adde *Valentia tom.2.diſp.8.quæſt.5. puncto 5. Bellarm. lib.2.de iuſtificat.cap.16.* Et paulò poſt hæc verba, *contra Nugnum loco ſupra citato dubio 2.* Adde *Suarez 3.part. tom.4.diſp.9. ſect.3. num.3.* Et poſt hæc verba *Coninchum loco citato concl.1. num.39. Scotum, & alios apud Suarez loco citato num.3. & apud Vaſquez 1.2.quæſt.13.art.2.* Adde *apud Tannerum tom.2.diſp.6.q.5. dub.4.n.89.*

De Pœnitentiæ Sacramento diſp.5.quæſt.7.

puncto 4.§.1.fol.265. col.2. num.17. verſ. Finem poſt verba. *Et quamuis Vaſquez loco citato num.3.* Adde *Henriquez lib.7. cap.12. num.4. Suarez de pœnit.diſp.28.ſect.8.aſſert.3.*

De Sacramento Ordinis, diſp.8. quæſt.vnica, punct.4.fol.323.col.1.num.30.in fine. Adde *vide dicenda tom. 3. diſp. 3. quæſt.1. punct. 11. num.22.*

De Sponſalibus quæſt.1.puncto 6.propoſ.2. fol.348.num.18.in fine, col.2. vbi legitur, *ita Sanchez diſp. 48. Henriquez cap.13.n.3. & alij, quos ſequitur Gutierrez cap.27.num.3.* Debet legi. *Vide Sanchez diſp.48. Henriquez cap.13.n.3. & alios quos ſequitur Gutierrez cap.27.num.3.*

De Matrimonio quæſt.2. punct.6. fol.368. col.1.num.7. poſt verſ.18. ante, *Hîc obiter aduerto.* Adde, *Hoc tamen limita iuxta dicenda, num.18.*

De impedimento Matrimonij, quæſt. 3. punct.13. fol. 426. col.1. num.27. lin.35. poſt hæc verba, *Et ſecundum illum contrahere matrimonium.* Adde. *hoc enim ius videtur ei à natura tributum. ita Henriquez.*

Quæſt.4. quæ eſt de vſu Matrim. punct.5. propoſ.1.fol.445.col.1.num.23.lin.39. vbi legitur. *Reſpondeo virum innocentem.* Adde. *Reſpondeo primò virum innocentem.*

Quæſt.4.

Quæſt.4.quæ eſt de vſu Matrim. punct.15. propoſ.4. fol.467. col.2. num.11. lin.42. poſt hæc verba, *Emolumentis domus hoſpitalis.* Adde *niſi fortè hoſpitale ſit valdè diues, ita vt præſumatur fundatorem voluiſſe omnes ali abſque vlla ſpe recuperationis alimentorum; tunc enim ceſſat obligatio reſtituendi, cùm alimenta cenſeantur condonata. Ita Rebellus.* Et lin.46.in fine n.11. Adde. *Et alij communiter, teſte Molina contra Abbatem, cap.1. de infantibus expoſitis. Surdus de alimentis, tit.6.quæſt.19.num.12. & alios; quorum ratio eſt, tum quia parentes non tenentur ex iuſtitia, ſed ex pietate alere filios; violatio autem pietatis non inducit obligationem reſtituendi, tum quia repetitio alimentorum non conceditur ei, qui aliquo iure alere tenebatur, etiamſi proteſtatus ſit, ſe illas expenſas facere animo repetendi; proteſtatio enim non tollit illam obligationem quæ non pendet à voluntate proteſtantis. Tum quia quæ pietatis cauſa dantur, non repetuntur, cap.ſacrorum 12.quæſt.2. Verum ad has rationes reſponſio patet ex dictis in quarto Decalogi præcepto, & puncto 6. §.1.num.6. & ſeqq.& ex ratione à me ſuperiùs allata.*

Ibid.punct.17.propoſ.2. fol.472. col.2.n.6. lin.32.poſt hæc verba, *ita permittente conſuetudine.* Adde, *Imò mihi valdè probabilis videtur opinio Sanchez in ſum. lib.5.cap.5. num.22. vbi*

*cum ſancto Antonino, & Paludano ſimpliciter, & abſolutè conatur oſtendere ad officium Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ non requiri virginitatem, niſi fortè Abbatiſſa ſit velata ſpeciali virginum velo, quod cum quadam conſecratione, & benedictione propria ordinis Epiſcopalis traditur. Ratio eſt quia nullo textu probari poteſt ad Abbatiſſas communes virginitatem requiri. Neque obſtat cap. iuuenculis 20. quæſt. 1. vbi habetur nullam velari poſſe, niſi virginem ſexagenariam. Reſpondetur enim illum textum non intelligi de Abbatiſsis communibus, ſed de illis quæ velantur ſpeciali conſecratione propria caracteris Epiſcopalis: in his enim requiritur virginitas; atque adeò admitti non debent ad officium Abbatiſſæ, abſque facultate Papæ; eius enim eſt diſpenſare in iure communi; nec ſufficere videtur diſpenſatio Epiſcopi, quia Epiſcopus regulariter loquendo diſpenſare nequit in Iure communi. Vide Sanchez loco citato.*

Ibid. punct. vltimo, fol. 476. col. 1. num. 10. lin. 39. poſt hæc verba, *Quamuis Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 13.* Adde *Coninchus de matrimonio diſp. 31. dub. 4. num. 48.*

Et fol. 480. col. 1. num. 27. lin. 21. poſt hæc verba, *De licentia proprij Epiſcopi.* Adde, *Quia huiuſmodi reconciliatio vicem gerit nouæ conſecrationis; conſecratio autem Eccleſiæ eſt functio*

*Ordinis*

*Ordinis Epiſcopalis*; & poſt duos verſus, ad hæc verba *de conſecrat.* Adde, *Eccleſiæ, vel Altaris.* Et in fine reſponſionis, ante tertiam propoſitionem, poſt hæc verba, *Sanctiſsimi corporis Chriſti.* Adde, *Ex dictis patet ſolutio illius difficultatis de qua aliàs ſæpius interrogatus fui, à quo ſcilicet reconcilianda ſit Eccleſia, vel Cæmeterium pollutum. Reſpondeo enim Eccleſiam conſecratam, vel Cæmeterium antea conſecratum, ſi polluatur, non poſſe reconciliari reconciliatione ſtrictè accepta, niſi ab Epiſcopo, quia huiuſmodi reconciliatio eſt actus Ordinis Epiſcopalis, qui delegabilis non eſt, niſi fortè à Papa delegetur Sacerdoti, cap. aqua per Epiſcopum de conſecrat. Eccleſ. reconciliari tamen poteſt reconciliatione latè accepta à ſimplici Sacerdote ex facultate Epiſcopi, vel eius Vicarij Generalis, ſeu Apoſtolici, tum quia huiuſmodi reconciliatio non eſt propriè functio Ordinis Epiſcopalis, ſed ceremonia ſacra, qua aboletur macula, quæ per ſanguinis effuſionem illata fuerat Eccleſiæ, vel Cæmeterio, tum quia ſicut Epiſcopus, vel eius Vicarius Generalis, aut Apoſtolicus poteſt facultatem celebrandi concedere in templo cultui diuino nondum dicato; ita etiam diſpenſare poteſt, vt diuina celebrentur in templo, vel Cæmeterio polluto, cùm Cæmeterium pollutũ æquari poſsit templo, ſeu Cæmeterio profano, & cultui Dei nondum dicato.*

De Excommun. diſp.3. quæſt.2. punct.5. fol.559.col.2.n.3.lin.20.poſt hæc verba, *quæ in cap.1. de except.in 6.decernuntur.* Adde, *Præterea ſi excommunicatus toleratus concurrere velit ad electionem, poteſt reiici, & is ad quem ſpectat confirmatio electionis, poteſt illam non acceptare, eámque reiicere, ac ſi facta non fuiſſet. Ratio eſt, quia non tenemur communicare cum excommunicato tolerato; ſed poſſumus ab eius conſortio abſtinere, cùm Extrauagans ad euitanda non fuerit facta in fauorem excommunicati, ſed in fauorem aliorum, ita Coninchus, num.93.& alij.*

Diſput.10. quæ eſt de Irregular. quæſt.3. punct.7.§.vnico, fol.691.col.1. num.19.lin.43. poſt verba, *Reginaldus lib.30.num.204.* Adde, *Excipe niſi per ambitionem Simonis Magi pecuniam obtulerit; hic enim eſt irregularis, vt patet ex cap.maritum diſtinct.33.*

De hor. Canon. diſp. 2. quæſt.4. punct.2. fol.804.col.1.num.14.lin.54. poſt hæc verba, *Videndum eſt ipſummet Concilium.* Adde, *Imò plures extant ſacræ Congregationis deciſiones, quibus cauetur Canonicum, etiamſi Protonotarius Apoſtolicus ſit, vel Vicarius Epiſcopi non lucrari diſtributiones, niſi ſit in ſuo ſtallo, & induatur veſtibus canonicalibus.*

De clauſura quæſt.2. punct.12.§.1.fol.920. colum.2.

colum. 2. num. 9. Et lin. 17. poſt hæc verba. *Azor. loco citato quæſ. 1.* Adde. *ſed quid ego ſentio, patet ex dictis puncto* 11. §. 2. *num.* 1. *& ſeqq.*

Ibid. quæſt. 4. punct. 2. fol. 933. col. 2. num. 3. lin. 45. poſt hæc verba, *Demandata fuit.* Adde. *Rurſus non obſtat oppoſitum ſeruari pluribus in locis, in quibus facultas non ſolum colloquendi Moniales, verum etiam ingrediendi Monaſteria Monialium Regularibus ſubiecta, concedi ſolet ab Epiſcopis, priuatiuè ad Superiores Regulares. Reſpondetur enim id licitè fieri, ſi fiat ex conſuetudine poſt Concilium introducta; conſuetudo enim tribuit ius, vt benè declarauit ſacra Cardinalium Congregatio, ſeſſ. 25. cap. 5. vbi etiam explicauit vtrum Epiſcopo aliqua facultas competat circa licentias à Superioribus Regularibus conceſſas circa ingreſſum in Monaſteria Monialium ſibi ſubiecta, dato quòd Superioribus Regularibus competat ius concedendi licentias priuatiuè ad Ordinarios; ait enim ſeruandum eſſe conſuetudinem, iuxta quam Superiores Regulares concedere ſolent huiuſmodi licentias. Si tamen Epiſcopus aliqua ex cauſa expedire iudicauerit, præfatas licentias à Regularibus conceſſas improbare, poterit aliquem particularem impedire, quoties probabiliter ita expedire iudicauerit, quia cura clauſuræ maximè ſpectat ad Epiſcopos;*

*ſcopos; non tamen poterit ex toto licentias improbare, quia Epiſcopus non poteſt facultatem Regularibus auferre.*

Ibid.quæſt.4. punct.3.fol.935.col.1.num.2. lin.43. poſt verba, *Abſolutè licentiam.* Adde *in ſcriptis petit.*

Fol.938.col.1.num.9.in fin.lin.39.poſt verba *præcedenti allatis.* Adde. *Idem dic de Artifice ingrediente ad temperanda organa incompoſita, vel ad componendum horologium. Secùs dic de Magiſtro ingrediente ad docendum cantum, aut organorum pulſum; Moniales enim hæc commodè doceri poſſunt ad crates, vt ſuppono cum Sanchez loco cit.num.*42. *& Lamas* §.6.Et col.2.num.11. in fin. lin.13. poſt verba. *& alios.* Adde, *quarum opinio probabiliſſima eſt.*

De ſimonia diſp.1. quæſt.7. §. 1. fol.1016. col.1. num.10. poſt verba, *num.8. relatis.* Adde. *Hoc tamen intelligitur de penſionibus, aut aliis rebus, quæ ob ſimoniam confidentialem ex beneficiis acceptæ fuerunt; non verò ſi confidentialis ſimonia commiſſa fuit in ipſa penſione præcisè; nam intentio Summorum Pontificum fuit, impedire ſucceſſionem, quaſi hæreditariam in beneficiis Eccleſiaſticis.*

Fol.1018.col.2.num.8. lin.50.poſt hæc verba, *Si excommunicatio retrotraheretur.* Adde *ſequeretur.*

De

De largitione munerum, diſp. 3. puncto 6. fol. 1072. col. 1. num. 6. lin. penultima, vbi legitur: *Imò aliquid*, lege, *Imò aliqui.*

Fol. 1077. col. 2. num. 24. linea 20. vbi legitur, *quæ prior licentia*, lege, *quia prior licentia.*

De largitione munerum, diſp. 3. punct. 6. fol. 1079. col. 2. num. 33. lin. 14. poſt verba, *ita etiam.* Adde. *obligatur ſi ex culpa.*

Diſp. 6. ex variis, quæ eſt de onere, & obligatione denunciandi, punct. 3. fol. 1110. col. 2. num. 7. lin. 52. poſt verba *puncto præcedenti, num. 7.* Adde, *& hic num. 3.* Et lin. 58. vbi legitur *reg. 4. num. 9.*. lege §. 4.

Fol. 1113. col. 1. num. 7. lin. 62. poſt hæc verba, *ac fictione confeſſionis.* Adde, *ſeu in confeſſionali, ſiue loco confeſſionis.*

ADDI

# ADDITIONES
## AD
# TOMVM II.

DE legibus diſp.1. quæſt.1. punct.4. pag.19. col.2.verſ.1.num.160.adde *Becanus de legibus, tract. 3. cap.6. quæſt.8.num.3.*

Ibidem verſ.13.poſt hæc verba, *roſi videantur.* Adde, *& ne peccandi occaſionem præbeant; poteſtas enim non eſt data in deſtructionem, ſed in ædificationem.2.Corinth.13.*

Pagina ead. & columna, verſ.20. poſt illa verba, *& alios*, adde, *Quibus adde Becanum 2. part. tract.3.cap.6. quæſt.8. num.3. & 4. vbi ait, eos, qui leges Pontificias non acceptant, licet peccent, quoties illas abſque rationabili cauſa non acceptant, non tamen teneri ad legem obſeruandam. hac de cauſa, excuſat multos in Germania non ſeruantes Decreta Concilij Tridentini, aut Bullæ Cœ-*

næ,

*næ, eo quod huiuſmodi decreta multis in locis vſu recepta non fuerint. Addit etiam idem Auctor Epiſcopos, aut Principes, quibus mandatur, vt legem aliquam promulgent, ac recipiant, peccare, quoties illam abſque iuxta cauſa non publicant, & non recipiunt; ſucceſſores verò ipſorum, ait, non peccare, atque adeò Epiſcopos, aut Principes hoc tempore viuentes, quorum anteceſſores non receperunt Concilium Tridentinum, aut Bullam Cœnæ, dum primùm publicarentur, in conſcientia excuſari, & multo magis eorum ſubditos. Verùm quid ego circa Bullam Cœnæ, quæ quotannis publicatur, ſentiam, conſtat ex dictis in Bulla Cœnæ, diſp.1.q.15. puncto 4.§.5.*

Diſp. de peccatis, quæſt.2.punct.4.num.5. *in fine*, poſt illa verba, *ſecunda propoſitione.* Adde, *Sed priùs obſerua, ad vitandam turpitudinem in actibus ſecundum ſpeciem indifferentibus, optimum conſilium eſſe, ſi ad gloriam Dei referantur; tum quia ſic adimpletur conſilium illud Apoſtoli, ſiue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis omnia in gloriam Dei facite; tum quia huiuſmodi opera non cenſentur otioſa, cùm debito fine non careant; tum quia hoc pacto ſeruatur ius naturæ præſcribens ſeruandum eſſe dictamen rectæ rationis; recta autem ratio dicitur, actiones mediatè, vel immediatè referri ad finem ad quem creati ſumus, ita Becanus loco citato.*

Ibidem, quæſt.4. punct.6.num.21. poſt illa verba, *alij communiter.* Adde, *idem in ſimili docet Becanus loco citato num.8. vbi ait, eum qui credit ſe teneri ad aliquam rationem, neſciens diſcernere ad quam virtutem pertineat, teneri ſolum illo præcepto generali, bonum faciendum, & malum fugiendum.*

ADDI

# ADDITIONES AD TOMVM III.

DISP. 1. quæſt. 15. punct. 4. §. 5. fol. 121. columm. 2. num. 2. circa finem, in linea, quæ incipit, *& reiiciendam eſſe*, poſt hæc verba. Adde, *Cùm Pontifex non acceperit poteſtatem à populo, ſed à Deo; ergo, &c.*

Diſp. 1. quæſt. 16. punct. 3. fol. 127. col. 1. ſub num. 5. §. *Addo hoc*, ita ſe habet cum ſuis adiunctionibus. *Addo, hoc priuilegium ante ſententiam Iudicis extendi ad Clericos, qui prima Tonſura, vel Ordinibus ab alieno Epiſcopo, ſine litteris dimiſſoriis initiati ſunt; adhuc enim vocantur Clerici in Domini ſortem vocati, & è Laicorum grege extracti, donec per Iudicis ſententiam declarentur priuati priuilegio. Ita Doctores citandi. Idem militat in eo qui Ordines ſuſcipit ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, depoſito, vel degra-*

*dato. Vide dicenda diſp. 3. quæſt. 1. puncto* 11. *n*. 20. *& ſequent.*

In eadem col. circa finem, verſ. *Reſpondeo ſecundò*, eo abſoluto. Adde, *An autem ordinatus prima Tonſura, vel minoribus Ordinibus ab alieno Epiſcopo, cum falſis dimiſſoriis gaudeat Priuilegio fori, explicabitur loco citato; vbi oſtendam poſt ſententiam Eccleſiaſtici Iudicis, non gaudere, iuxta Conſtitutionem Vrbani VIII.*

Diſp. 2. quæſt. 2. punct. 16. fol. 246. col. 1. poſt medium verſ. *Ex quo ſequitur*, eo abſoluto; Adde, *Sed contrarium declarauit S. Congregatio Concilij ſeſſ. 4. apud Mazillam, & alios.*

Ibid. quæſt. 3. punct. 16. §. 4. folio 304. col. 2. num. 14. eo abſoluto; Adde; *Ideò ſacra Cardinalium Congregatio referente Illuſtriſſimo Cardinali Lante, ſub* 17. *Nouembris* 1617. *Epiſcopo Marſenſi reſcripſit: Cappellas priuatorum palatiorum immunitatis Priuilegio non gaudere.*

Ibidem quæſt. 3. punct. 16. §. 7. fol. 311. col. 1. ante num. 4. Adde. *Ideò in Congregatione, ſacræ Conſultæ* 17. *Nouembris* 1617. *deciſum fuit, eos fuiſſe tutos in Eccleſia, qui in porticu Eccleſiæ quendam ex præuia rixa occiderant, ſeque poſtea in Eccleſiam receperant; quia non dicuntur occidiſſe in Eccleſia, vel Cœmeterio. In fauoribus enim fit latior interpretatio; ſed in odioſis, & pœnalibus*

*nalibus ſtrictior, ita vt delinquens in porticu non poſsit dici delinquere in Eccleſia. Remigius de Goni. de immunitate ampliat. 2. Ioannes de Viſch, de immunitate, numero 60. & alij.*

Ibidem quæſt.10. punct. 16. fol.465. col.2. ante num.5.poſt verba,*ff.de legat.1,* Adde,*tum quia hîc non defert præfata arma ſub clypeo facultatum, vt ſuppono.*

Diſp.3. quæſt.1. punct.11. fol.494. col.2. num.21. eo abſoluto. Adde, *Ratio eſt, quia huiuſmodi ordinatio irrita eſt, quoad executionem, licet non ſit irrita, quoad ſubſtantiam.*

Ibidem quæſt. 8. punct. 3. fol.548. col.1 ante quartum punctum. Adde. *Tertiò dubium eſt, an Abbas Priuilegium habens conferendi Tonſuram, & minores Ordines ſuis ſubditis Regularibus, validè conferat Tonſuram, & minores Ordines ei, qui re ipſa ſibi ſubditus non eſt, eo quòd profeſſionem inualidè emiſerit; quem tamen ſubditum putat.*

*Reſpondeo collationem Ordinum validam eſſe, & non iterandam. Ratio eſt; tum quia collatio Minorum Ordinum non eſt actus Iuriſdictionis præciſè, ſed eſt functio Ordinis Sacerdotalis, cap. cùm contingat. de ætate, & qualitate; functio autem Ordinis non irritatur, in quoſcunque exerceatur; tum quia ita expreſsè declarauit ſacra Cardinalium*

*Congregatio, ſeſſ. 23. cap. 10. cuius declaratio refertur à Petro Mazilla, à Io. Gallemart, & à Farinaccio in declarat. Cardinal. ſeſſ. 23. cap. 10. Et alia antiquiora iura non irritant collationem Ordinum aliter factam, nec vtuntur verbo, non poteſt, ſed verbo, non licet, quæ loquendi forma prohibet collationem Ordinum, ſed non irritat aliter factam. Ita meo iudicio ſentire debent omnes illi Doctores, qui docent, minores Ordines eſſe Sacramenta, quorum Miniſter conſtitutus eſt à Deo, non ab Eccleſia. An verò ſpecialiter collatio Tonſuræ teneat, colligitur ex ſupradictis quæſt. 1. punct. 11. num. 20.*

FINIS.

# INDEX RERVM

## NOTABILIVM.

AB

ABsolvtio excommunicationis reſeruata. *pag.* 159. 6.

Abſolutio excommunicationis contractæ ob violationem conſtitutionis Gregorij XV. circa electionem, reſeruata eſt Papæ, nec vllus virtute cuiuſlibet priuilegij excepto mortis articulo abſoluere poteſt. 270. 3.

AM

Ambiens, ſeu procurans Papatum incurrit excommunicationem, etiamſi id faciat viuente Summo Pontifice. 224. 3.

quid Ambire, & vtrùm ambiens poſt mortem Summi Pontificis ligetur excommunicatione, ſaltem ſi per ſimoniam procuret. 225. 4.

AP

Apoſtoli quomodo Petrum in Pontificem elegerint. 50.

CA

CArdinalatus non ſolum eſt nomen dignitatis, verum etiam officij. 42. 3.

Cardinalis ſuperſtes aliis mortuis poteſt aliquem ſecum aſſumere ad eligendum, vel, vt alij volunt, conuocandum eſt in tali euentu Concilium generale, à quo Papa eligatur, vel à Romano Clero. 13.3.

Cardinalis cui os clauſum fuit, ante mortem Pontificis poteſt conuenire ad electionem. 16.4.

Cardinalis cenſura obſtrictus non repellitur ab electione. ibid.5.

Cardinalis ſacro Diaconatus ordine nondum inſignitus, ad electionem admittendus non eſt. 17.6.

Cardinalis cedere poteſt iuri eligendi, & nihilominus facta ceſſione, ſi ad electionem concurrat, validè concurrit. ibid.7.

Cardinalis qui ſemel ſimoniacè aliquem elegit, poteſt nihilominus ad nouam Pontificis electionem concurrere. 18.8.

Cardinalis qui ſuffragium digno confert relicto digniori, quem ipſe eligi vellet, aliis eum reſpuentibus, à mortali excuſatur. 68.5.

Cardinalis tribuens votũ manifeſtè indigno, non vt eligatur, ſed vt votum inane reddatur, per ſe loquendo grauiter peccat. 69.6.

Cardinalis an incurrat pœnas conſtitutionis Iulianæ, ſi commiſſa ſimonia, vt in Papam eligeretur, nominatus quidem fuit, ſed non electus defectu nonnullorum ſuffragiorum. 110.17.

Cardinales quomodo Pontificem eligant cum ipſi poteſtatem Pontificiam non habeant. 26.12.

Cardinales cur hoc nomine vocentur. 40.2.

Cardinales à quonam primò inſtituti fuerint. 43.1

Cardinales à quonam facultatem eligendi Ponti-

fices

fices acceperint. 48.1.

Cardinales dicuntur habere facultatem eligendi Pontificem potius delegatam quàm ordinariam. 50.3.

Cardinales quandónam ſoli Pontificem eligere incœperint. 13.2.

Cardinales eligendi poteſtatem habent quoties Sedes vacat, ſiue vacet per mortem, ſiue alia ratione. 53.1.

Cardinales an ſinguli facultatem habeant eligendi, vel ſolum Collegium. 54. 2.

Cardinales vnus vel duo in Conclaui exiſtentes aliis è Conclaui egreſſis, vel extinctis, an Pontificem eligere poſſint. ibid.3.

Cardinales Concilium Generale Sede vacante conuocantes, an poſſint ipſi Pontificem eligere, vel potius eligendi facultas Collegio cõpetat. 56.4.

Cardinales facta iam vnius electione recedere non poſſunt ab electione. 87.10.

Cardinales an Eccleſiam gubernare poſſint donec electus conſenſum præſtet. ibid.11.

Cardinales an facultatem aliquam habeant in electum qui electionem nondum acceptauit. 89.12.

Cardinales in Conclaui exiſtentes non ligantur excommunicatione, ſecretè inter ſe loquendo, aut nuncium, & litteras ad ſe mittendo. 245.6.

Cardinales recipientes nuncium, vel litteras, vel loquentes, cum ſecretò loquentibus grauiter peccant, ſed non ligantur excommunicatione. ibid.7.

Cardinalium nomine quinam veniant. 39.1.

Cardinalium creatio ad quem pertineat. 46.3.

Cardinalium Collegium non poteſt quemquam,

qui Cardinalis non ſit, admittere ad electionẽ. 13.2.

Cardinalium famulus in Conclaui exiſtentium alloquens, non ligatur excommunicatione. 47.8.

Cardinalibus Regia quaſi dignitas competit. 45.2.

C E

Cenſuræ, occaſione creationis Rom. Pontificis editæ. 213.

C L

Clemens prius à D. Petro in ſucceſſorem electus, an Papatui ceſſerit. 201.5.

Cletus, & Linus, vide *Linus*.

C O

Compromiſſarius ab aliis eligi poteſt. 156.10.

Compromiſſarij in electione Pontificis plures eſſe debent. 152.5.

Compromiſſarij quot eſſe poſſint. 153.6.

Compromiſſarij qua forma inſtituẽdi ſint. ibid. 7.

Compromiſſarij in electione Papæ debent eſſe Cardinales. 154.8.

Compromiſſarij debent eligere Papam in Conclaui clauſo. 157.11.

Compromiſſarij ſeruare debent formam ſibi à Cardinalibus compromittentibus præſcriptam. ibid. 12.

Compromiſſum de conſenſu omnium Cardinalium fieri debet. 147.1.

Compromiſſum qua forma ineundum ſit. 151.3.

Compromittere nemo poteſt in ſeipſum. 155.9.

Conclaue vbi conſtituendum ſit. 117.4.

Conclaue an conſtituendum ſit in palatio Papæ. 119.5.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Conclauis nomine quid intelligatur. 116.3.

Conclaui iam clauſo quinam in illud admitti poſſint. 119.6.

Conclaui clauſo an conſenſus omnium Cardinalium requiratur, dum aliquis in Conclaue admittendus eſt. 120.7.

DO

DOmini temporales non ſeruantes præſcripta Sede Apoſtolica vacante ligantur excommunicatione. 234.1.

enumerantur ea quæ ſeruanda ſunt à dominis temporalibus Sede vacante. 235.2.

aſſignatur materia iſtius excommunicationis. 236. 3.

aſſignatur ſubiectum eiuſdem. 237.4.

abſolutio iſtius excommunicationis non eſt reſeruata. 238.5.

EL

ELectio indigni, an imputanda ſit Cardinalibus, an Pontifici, qui Cardinalibus poteſtatem eligendi contulit. 29.14.

Electio Pontificis valida non eſt niſi liberè fiat. 59.1.

inualida eſt facta per metum, etiamſi de huiuſmodi metu omnibus Cardinalibus non conſtet. 60.2.

Electio facta per metum leuem valida eſt. 61.3.

Electio facta per metum Cardinalibus in genere incuſſum ad eligendum valida eſt. ibid.4.

Electio facta per metum incuſſum ad eligendum aliquem certi generis, vel nationis, valida eſt. 62.5.

Electio valida eſt dum metus incutitur ad exclu-

dendas perſonas certi generis, aut certam aliquam perſonam. ibid. 6.
Electio facta metu aëris inficiendi, valida eſt. 63. 7.
Electio facta per metum à Deo miraculosè incuſſum, valida eſt. ibid. 8.
Electio facta à Cardinalibus audientibus Turcas adeſſe, valida eſt. ibid. 9.
Electio Vrbani VI. valida fuit, etiamſi fortè per metum initio facta fuerat. 64. 10.
Electio Summi Pontificis facta per ſimoniam, inualida eſt. 93. 1.
Electio Papæ an inualida ſit, dum Cardinalis gratiam ſuam, vel operam promittit alteri, vt ſe in Papam eligat. 94. 2.
Electio precibus facta, valida eſt. ibid. 3.
Electio valida eſt, dum eligendus aliquid alteri tradit, vt eum ab iniuſta impugnatione reuocet. 95. 4.
Electio valida eſt, dum Cardinalis in Papam eligendus, promittit ſe facturum aliquid in vtilitatem totius Eccleſiæ. 96. 5.
Electio valida eſt, dum eligendus promittit ſe facturum aliquid in gratiam Conclauiſtarum, ſeu aliorum qui ad electionem non concurrunt. 97. 6.
Electio an valida ſit, dum facta fuit, non ſolùm ab eo cum quo ſimonia commiſſa fuerat, verum etiam ab aliis conferentibus ſuffragia ſufficientia ad electionem. 100. 9.
Electio Papæ irrita non eſt ob aliqua crimina, excepta hæreſi, & ſimonia in electione. 110. 18.
Electio facienda eſt in Conclaui clauſo. 112. 1.

Electio facta Conclaui clauſo valida eſt, etiamſi forte ibi aliqui extranei lateant. 115.2.

Electio Summi Pontificis facienda non eſt ante decem dies ab obitu Pontificis, nec vltrà differri debet. 122.1.

Electio Pontificis quandónam fieri poſſit, ante lapſum decem dierum, & quando non vltrà differri poſſit. 124.2.

Electio Pontificis ex graui cauſa vltra decem dies differri poteſt. ibid.3.

Electio Pontificis facta ante elapſos decem dies, valida eſt. 125.4.

Electio dilata vltra decem dies, valida eſt. 127.5.

Electio an nocturno tempore fieri poſſit. ibid.6.

Electio nocturno tempore inchoata, & abſoluta, irrita non eſt. 128.7.

Electio Eccleſiaſticorum per ſortes, vetita eſt. 131.2.

Electio per ſcrutinium requirit debitum ſuffragiorum numerum. 134.1.

Electio fieri debet per ſecreta ſuffragia. 136.4.

Electio facta per adorationem inualida eſt. 137.6.

Electio valida eſt etiamſi Cardinalis retulerit quod in ſuo ſuffragio continetur. 138.7.

Electio an valida ſit, dum Cardinalis ſuum ſuffragium aliis oſtendit antequã illud clauderet. 139.8.

Electio valida eſt etiamſi aliqui tulerint ſua ſuffragia aperta, is tamen cui lata ſunt non fuit electus, ſed alius. 140.9.

Electio an vitietur ob duo, vel tria ſuffragia aperta. 141.10.

Electio inualida eſt, dum quis ſeipſum eligit, & ipſius

ipſius ſuffragium complet numerum ad electionem requiſitum. 143.11.

Electio per compromiſſum, valida non videtur, niſi Cardinales compromittentes conſentiant, non ſolum in compromiſſum, verum etiam in ipſos compromiſſarios. 148.2.

Electio minus idonei facta à compromiſſariis, an valida ſit. 160.13.

Electio per inſpirationem quotuplex ſit. 163 1.

Electio per inſpirationem fieri debet in Conclaui clauſo. 165.2.

Electio facta in ſacello, ſeu Capella clauſa, an valida ſit? ibid.3.

Electio fieri poteſt in quolibet loco conclauis. 166.4.

Electio facienda eſt poſt decem dies à die obitus. ibid. 5.

Electio per inſpirationem fieri debet conſenſu omnium. ibid.6.

Electio per inſpirationem an valida ſit, ſi tempore complendæ electionis aliquis Cardinalis ſenſibus deſtituatur, ita vt loqui non valeat, aut ſuum conſenſum ore, vel ſcripto portare. 169.7,8.

Electio per inſpirationem valida eſt, etiamſi aliqui priùs diſſenſerant, qui poſtmodum conſentiant. 171.9.

Electio per inſpirationem facienda eſt, cum verbo *eligo* ore, vel ſcripto prolato. 174.10.

Electio per inſpirationem fieri debet, abſque præuio tractatu de ſpeciali perſona. 175.11.

Electio quandónam inchoata cenſeatur. 181.17.

Electio quaſi per inſpirationem facta præuio tractatu,

ctatu, an valida ſit, ſi electus tractatum penitùs ignorabat? 184.18.
Vide *Pontifex*.
Electionis forma quotuplex ſit. 132.3.
Electionis ſubſtantia quorum vitioſa & euertenda. 210.
requiſita ad validam & legitimam Summi Pontificis electionem. 1.
requiſita ex parte eligentium. 10.
ex parte electi. 70.
ex parte loci. 112.
ex parte temporis. 121.
ex parte formæ. 129.
Electionem Summi Pontificis attentans ipſo viuente, ſeu inconſulto excommunicationem incurrit. 225.5.
Electionem Summi Pontificis conſulens, non incurrit excommunicationem. 226.6.
aſſignatur ſubiectum iſtius excommunicationis. 227.7. & ſeqq.
Elector Summi Pontificis hoc tempore debet eſſe Cardinalis. 13.1.
Elector ſe ipſum eligere non poteſt. 66.1.
Elector qui ſuffragium vni in ſcrutinio dedit, non poteſt eidem in acceſſu ſuffragari. ibid. 2.
Electores debent idoneum eligere. ibid. 3.
Electores poſſunt cæteris paribus eum præferre, quem ſibi magis propitium ſperant. 67.4.
Electores ſeruare debent ea quæ ſibi præſcripta ſunt. 70.7.
Electus in Papam quomodo ſe gerere debeat dum animaduertit in ſua electione ſimoniam factam fuiſſe,

fuiſſe. 103.11.

quid faciendum ſi Eligatur aliquis qui poſtea rationis vſum amittat. 83.7.

Eligenda eſt perſona certa. ibid.8.

Eligendi Magiſtratus forma quotuplex ſit. 130.1.

Eligendus in Papam debet eſſe maſculus, & non fœmina. 71.1.

Eligendus in Papam rationis vſum habere debet. 80.5.

Eligẽdus in Papam debet eſſe baptizatus. 89.13.

Eligendus in Papam debet eſſe Chriſti fidelis, non Hæreticus. 90.14.

Eligendus in Papam vitio ſimoniæ in electione carere debet, alioquin non ſolum tunc inualidè eligitur, verum etiam inhabilis efficitur qui in futurum eligatur. 91.15.

Eligendus in Papam an debeat ex numero Cardinalium eſſe. 111.19.

EX

Excommunicatio contra dominos temporales, & officiales ciuitatis, in qua electio Summi Pontificis facienda eſt. 233.

Excommunicatio contra eos, qui Cardinalibus Conclaui exiſtentibus, litteras, vel nuntium mittunt, vel ſecretò loquuntur. 238.

refertur textus in quo iſta excommunicatio continetur. 240.1.

aſſignatur materia. 241.2.

Excommunicatio contra occupantes bona Cardinalis in Conclaui exiſtentis, aut etiam alibi. 253.

refertur textus in quo iſta excommunicatio continetur. 255.1.

aſſigna

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

aſſignatur materia. 256.2.
Excommunicatio lata ob inuaſionem domus Cardinalis an reſeruata ſit. 260.7.
Excommunicatio contra Cardinales ſimoniam committentes in electione Papæ. 261.
Excommunicatio lata ob ſimoniam contractam cauſa electionis Papæ non incurritur, quóvis tempore præfata ſimonia committatur, ſed ſi committatur Sede vacante. 265.4.
aſſignatur ſubiectum iſtius excommunicationis. 266.5.
Excommunicatio Gregorij XV. & ſanctiſſimi D. N. Vrbani, contra Cardinales non ſeruantes formam in eligendo Summo Pontifice præſcriptam, aut præſumentes aliquid facere, vel attentare contra ipſorum conſtitutiones. 267.
aſſignatur materia iſtius excõmunicationis. 268.1.
aſſignatur ſubiectum. 269.2.

FOE

FOEmina nulla fuit vnquã in Papam electa. 72.2.
acta huiuſmodi fœminæ irrita eſſent. 78.3.

IN

INuadens domum alicuius Cardinalis, non incurrit iſtam excommunicationem, niſi etiam aliquid rapiat, an autem aliam incurrat, explicatum eſt in tractatu de cenſuris in particulari. 256.3.
Inuadens domum alicuius Cardinalis armata manu incurrit excommunicationem, etiamſi vox non prodierit ipſum in Papam electum fuiſſe. 258.4.
Inuadens domum Cardinalis quas pœnas præter excommunicationem incurrat. 259.8.
LI

## L I

Linus, & Cletus non fuerunt abſoluti Pontifices, ſed cooperatores, & Suffraganei SS.Petri, & Clementis. 201.6.

Litteras mittens Cardinali in Conclaui exiſtenti, non ligatur excommunicatione, ſi litteræ ad Cardinalem non perueniunt. 242.3.

Litteras Cardinali in Conclaui exiſtenti mittens ligatur excommunicatione, ſiue ſecretè, ſiue publicè mittat. 243.4.

aſſignatur ſubiectum iſtius excommunicationis. 244.5.

Litteras recipiens in Conclaue miſſas, quandónam ligetur excommunicatione. 248.9.

Litteras, ſeu ſcripta deferens in Conclaue non ligatur excommunicatione. 251.12.

## P A

Papam deponendi facultas, an competat Cardinalibus, ſicut eiſdem competit facultas eligendi. 31.15.

## P O

Pœna excommunicationis contra facientes ſponſiones, ſeu excommiſſas ſuper vita, morte, & futura electione Pontificis, aut ſuper promotionibus Cardinalis. 214.

refertur textus, in quo iſta excommunicatio continetur. 215.1.

aſſignatur materia. 217.2.

Pœna excommunicationis contra ambientes Papatum, aut tractantes de electione Pontificis ipſo


adhuc

adhuc viuente. 222.
refertur textus in quo iſta excommunicatio continetur. 223.1.
aſſignatur materia. 224.2.
Pontifex reſpectu Chriſti dicitur habere poteſtatem miniſterialem, reſpectu verò hominum auctoritatiuam. 28.13.
Pontifex an poſſit Cardinalibus facultatem concedere deponendi alios Pontifices. 32.16.
Pontifex poteſt formam eligendi præſcribere, non autem facultatem deponendi alios Pontifices concedere. 33.17.
Pontifex an poſſit ſe alieno Iudicio ſubiicere. ibid. 18.
Pontifex an in cauſa hæreſis deponi poſſit. ibi.19.
Pontifex an teneatur ex vi iuramenti ſeruare ea, quæ dum Cardinalis erat ſimul cum aliis iurauit. 36.20.
Pontifex an poſſit ſeipſum deponere, ſeu Papatui cedere. 37.21.
Pontifex cuiuſnam ætatis eſſe debeat dum ad Pontificatum promouetur. 82.6.
Pontifex conſentire debet in electionem, alioquin electio inualida eſt. 84.9.
Pontifex licitè non poteſt ſibi ſucceſſorem eligere ſine vrgentiſſima cauſa. 187.1.
neque licitè poteſt ſucceſſorem eligere ſine conſenſu omnium Cardinalium. 188.2.
Pontifex de plenitudine poteſtatis poteſt ſibi ſucceſſorem validè eligere. 189.3.
Pontifex an poſſit ſibi duos ſucceſſores eligere, eodem tempore, qui eandem auctoritatem adæquatè,

tè, vel inadæquatè in totum orbem exerceant. 207.8.

Pontificis eligendi poteſtas, an Imperatoribus, aut Regibus aliàs conceſſa fuerit. 209.

Pontificis eligendi poteſtas quomodo aliàs conceſſa fuerit Populo, ſeu Laicis. 24.10.

Pontifices an aliquando vſi ſint poteſtate abſoluta eligendi Pontificem. 296.4.

Populus cur hoc tempore ad Pontificis Electionem non admittatur. 26.11.

SC

SCripturam mittens in Conclaue ligatur excommunicatione, etiamſi ſcriptura non agat de Summi Pontificis electione. 249.10.

Scripturam mittens in Conclaue, ligatur excommunicatione, etiamſi ea ſcriptura aliquid aliud inuoluat, aut credat fore, vt non legatur. 250.11.

Scripturam breuem, ſeu modicum chirographum mittens in Conclaue, ligatur excommunicatione. 251.13.

abſolutio iſtius cenſuræ, an reſeruata ſit. 253.14.

SI

Simonia mentalis non vitiat electionem. 78.7.

Simonia vt electionem vitiet, debet influere in electionem. 99.8.

Simonia electionem non vitiat, niſi conſentiente, vel ſaltem conſcio ipſomet electo. 101.10.

Simonia non irritat electionem niſi commiſſa fuerit ab ipſo electo, vel ab aliquo ex Electoribus. 104.12.

Simonia non vitiat electionem, dum tradita fuit

res

res leuis,& non magni momenti. ibid.13.

Simonia vitiat electionem, etiamſi notoria non ſit. 105. 14.

Simonia notoria quandónam dicatur. 106.15.

Simoniam committens in electione Papæ, excommunicationem incurrit. 262.1.

aſſignatur materia iſtius excommunicationis. ibid.2.

enumerantur ea propter quæ incurritur excõmunicatio,faciendo contra contenta in hacBulla.263.3.

SP

Sponſio,vel quilibet alius contractus ſuper morte,vel futura electione Summi Pontificis, aut ſuper promotione alicuius Cardinalis, punitur pœna excommunicationis. 217.3.

Sponſionem fieri permittens in ſuis terris ſuper vita,morte, vel electione Pontificis,aut promotione Cardinalis punitur pœna excommunicationis.218.4

idem dic de conſulente,auxiliante,aut conſenſum præſtante. ibid.2.5.

paruitas materiæ videtur ab hac cenſura excuſare. 219.6.

enumerantur perſonæ, quæ huic excommunicationi ſubijciuntur. 220.7.

abſolutio excommunicationis reſeruata Pontifici. ibid.8.

abſolutio an valida ſit nondum facta reſtitutione. 221.9.

SV

Suffragium iam latum,an reuocari poſſit? 135.2.

Suffragium in quo plures nominati ſunt,irritum eſt. ibid.3.

Suffragium quandónam dicatur ſecretum. 136.5.
Suffragia an aperienda ſint, dum alicui Cardinali ſimoniæ crimen circa electionẽ opponitur. 109.16.

T A

TAciturnitas an ſufficiat ad cõpromiſſum. 151.4.

T R

Tractatio de poteſtate abſoluta Pontificis ad Theologos pertinet, non ad Canoniſtas. 205.7.
Tractatus nomine quid intelligatur. 175.12.
Tractatus quotuplex ſit. 176.13.
Tractatus quilibet in electione per inſpirationem prohibetur. 177.14.
Tractatus conſultiuus, & informatiuus, an neceſſariò præmittendus ſit in electione, quaſi per inſpirationem. 180.15.
Tractatus deciſiuus quid requirat, vt irritam reddat electionem. ibid.16.

V I

VIr coniugatus validè eligi poteſt. 80.4.

V V

Vulnerans aliquem in domo Cardinalis, poſtquam eam domum armata manu inuaſit excommunicationem incurrit. 258.5.
explicatur ſubiectum iſtius excommunicationis. 259.6.

*F I N I S.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bonacina
De
Legitima
Pontificis
Electione

M.I.

Th
4847